BUHR A

a39015 01811619 7b

Elisha Jones
Leipsic, Jan. 31. 1874.

PRESENTED BY
THE HEIRS OF
ELISHA JONES
ASSOCIATE PROFESSOR
OF LATIN 1881-88

Gr Gottling.

PA
3131
.B67

Böckh, August

GRAECAE TRAGOEDIAE PRINCIPUM,

AESCHYLI, SOPHOCLIS, EURIPIDIS,

NUM EA, QUAE SUPERSUNT, ET GENUINA OMNIA SINT, ET FORMA PRIMITIVA SERVATA, AN EORUM FAMILIIS ALIQUID DEBEAT EX IIS TRIBUI.

INSUNT ALIA QUAEDAM AD CRISIN TRAGICORUM GRAECORUM PERTINENTIA.

SCRIPSIT

AUGUSTUS BOECKHIUS,

PROFESSOR HEIDELBERGENSIS.

HEIDELBERGAE,

EX OFFICINA ET LIBRARIA ACADEMICA

MOHRII ET ZIMMERI.

MDCCCVIII.

Digitized by Google

VIRO ILLUSTRI,

GODOFREDO HERMANNO,

PROFESSORI LIPSIENSI

CELEBERRIMO,

SCENICAE REI VETERUM

JUDICI LONGE PERITISSIMO,

SUMMAE VENERATIONIS TESTIFICANDAE CAUSA

HUNCCE LIBRUM

D. D. D.

AUCTOR.

Digitized by Google

PRAEFATIO AUCTORIS.

Ad Godofredum Hermannum.

Quum Tibi munus hocce offero, praestantissime Hermanne, video Te miraturum primum, quod id Tuo nomini inscripserim ego, quem neque oculis coram videris unquam, nec per epistolas in amicorum numero habueris; deinde quaesiturum religiose, an dignum Te, an litteris utile sit propositum meum. Est igitur opusculum, ut aliena verba accommodem meae rei, si aut ex sua aut ex Tua dignitate spectetur, perexiguum; si

ex viribus meis, mediocre: si ex animo, magnum. Sed cur ad Te mitterem, duae fuerunt causae gravissimae; altera, quod peritiorem neminem invenire poteram et dramatis veterum universae indolis, et verae criticae ac grammaticae artis, nullum in Graecae tragoediae historia magis versatum, nullum acutiorem interpolationum investigatorem, nullum numerorum feliciorem restitutorem, denique nullum talium scriptionum arbitrum callidiorem, neque ab invidia partiumve studio alieniorem: altera, quod ad nonnulla a me explanata viam monstravit Tuum inventum idque, quod sciam, nondum abs Te publici factum iuris; quod quum mecum ab amico communicatum esset, silentio transmittere non potui: itaque aequum videbatur, ut rediret res, unde profecta esset; quo simul gratiam ego persolverem Tibi debitam. Vides observantiam,

qua ego Te colo: vides religionem hominis, cui piaculum sit alienis esse usum, etiam nominato auctore, eum ni sibi devinxerit officio quòdam. Sic scrupulo, qui me stimulabat ac pungebat, ex animo evulso quid deest ad meam felicitatem? Nihil magnopere ab litteris quidem, modo Tibi mea probaverim, non omnia puta, immo ne summam quidem rerum: hoc enim optare parum fuerit verecundum: sed partem rerum, sed indagandi viam ac rationem. Hoc est in votis; quibus potiturum esse me licetne sperare? Verum ne potiar, num credis fore, ut poeniteat me huius publicae testificationis mei in Te animi? Nam Tibi si ea re crearem incommodum, dolerem certe id factum acerbissime: sed Tu quid inde detrimenti ceperis, si quae improbes Tibi consecrentur? Tu cares culpa; memet pro meis stare necesse est.

Mene autem graviter laturum, si veritatem pluris feceris, quam mei studium? mene indignaturum, si tantus vir non assentiatur meis commentis? Quid quod summo homini, Frid. Aug. Wolfio in immortali opere de Homero idem accidit, ut ei, cui sacrum volebat esse, non persuaderet? Nonne tanto capite tamque mihi caro consoler me?

Ac profecto quum natura sim ita timida et religiosa, quum mei mearumque rerum ita parum amans, ut nonnisi in generando, in quo gaudemus omnes, primo inventionis impetu placeant, ut adolescens mox suboles displiceat, ut tandem adultam et perfectam, non aliter ac bestiae suam prolem, nihil fere curem ac prope fastidiam; haud mirum est, si ipse minus fortasse quam alii benigne iudicem de libro hocce, neque eo, quo patres solent, coeco amore prosequar

eum. Quid multa? In schola pueri didicimus narrationem eximiam de Simonide, de quo quum quaesivisset Hiero tyrannus, quid aut quale sit deus (verba sunt Ciceronis), deliberandi sibi unum diem postulavit: quum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit: quum saepius duplicaret numerum dierum admiransque Hiero requireret, cur ita faceret, Quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi spes videtur obscurior inveniendi. Similiter, credo, si tempestive interrogatus forem, an dignum editione scriptum haberem, semel atque iterum et deinceps saepius postulaturus fuissem prorogationem: nunc casus manibus extorsit maturius. Quid pudeat fateri? Laudi mihi quam vitio potius duco, quod non tam mea virtute quam naturae beneficio in iuventute ad eam pervenerim temperantiam meique cognitionem,

qua nihil maius nec faustius ipsius Apollinis iudicio contingere potest mortalibus, ut mea considerare queam tamquam aliena. Itaque quod Ruhnkenius, cetera magnus vir, sed in hoc superstitiose adhaerens pristinis opinionibus, quas puer imbibisset, de Wolfii Prolegomenis dixit, notum illud, *Dum lego assentior,* aiebat, *quum posui librum, assensio omnis illa dilabitur;* hoc mihi prae timiditate accidit interdum in proprio hoc libro: nec rationes novi meae dubitationis, quae animum occupat eo vehementius, quo singula argumenta magis evanuerunt e memoria, solis manentibus generalioribus sententiis: contra recurrentibus specialibus indiciis ac testimoniis crescit persuasio. Quod ipsum meam mihi sententiam firmat rursus, quum multo deterior et desperatior res soleat esse, quando probabilior videatur elapsis his, incertior

subvenientibus: sic nescio an multa mihi tantum ideo videantur ambigua, quod in maximo quoque minime ipse mihi confidam. Fortasse hanc confessionem subabsurdam vocabunt nonnulli, qui nihil tolerant incertum, nihil sibi non exploratum putant: ii me quid velim nescire dicent. Verum mihi unus Deus ab errore videtur tutus esse; ille σοφὸς, nos sumus φιλόσοφοι: praeter quem pauca sunt divina ingenia, quae ex speciosis quid verum sit quid falsum, primo obtutu videant; istis autem ut par est magnifica verba condonare, ita si nos, quos summissiora fari decet, clamaremus, *Jacta est alea*, aut, *Actum est, ilicet*, quid quaeso Tu de nobis censeres, Vir humanissime? Alii fortasse similiter ambigent atque ego: qui si cogitabunt, ut Cicero dicit cogitasse Simonidem, quia multa venissent in mentem acuta atque subtilia,

quid eorum esset verissimum dubitasse, eos impense rogatos velim, ne, ut idem poeta, continuo in ea re desperent omnem veritatem.

In elaboratione libri, celeberrime Hermanne, neque eloquentiam affectavi, quam habeo nullam, neque elegantias captavi non aptas ieiunis quaestionibus, sed simplici et infucata oratione usus sum, forte non ubivis sibi aequali, breviore in gravioribus, prolixiore in levibus rebus, etiam horridula passim, passim contorta: diversis enim temporibus, locis diversis, animo diversissime affecto, horis maxime subsecivis scriptus est; quin primae duae plagulae iam ineunte hyeme proximi anni excusae sunt, quod Prooemii causa moneo: reliquum opus et me et typographo occupato huc usque intermissum nunc demum repetitur. Ordinem autem rerum non casus instituit, neque

hic sunt *ὁμοῦ πάντα χρήματα*: in materiae varietate multa, in contextu quamvis intricato, in magno numero rerum, quae praeter propositum ad ostentationem afferri videantur, mentem esse ratione omnia disponentem, *νοῦν τὸν πάντα κοσμοῦντα*, intelliget is, qui ex diversissimis unum illud colligere, et longam ac saepe interruptam demonstrationum seriem forti animo complecti didicerit: quod quum philosophiae sit fere proprium, mala fortuna in litteratoribus desideratur haud raro. Fallor aut nihil est quod sine detrimento loco moveris: plurima eorum, quae obiter addita videantur, aut dicta sunt ad nostra tuenda, aut erroribus occurrunt sive grassantibus, sive ad quos proclives hac aetate simus. At vero quum tale scriptum non uno tenore deinceps neque de industria excogitetur, sed fortuitas origines, fortuita incrementa capiat, singulae autem partes,

per se quaeque inventae et posthac in unum corpus coniunctae, museum opus referant, non illud temere conglutinatum, sed suam habens artem: in hoc genere scribendi manca quidem res et affecta potius quam perfecta putanda est; habet tamen id aliud commodum hoc, quod breviori spatio nova plura contineri possunt, quam ubi ad singula arctius connectenda multis opus est ligamentis. Postremo moneo, solere me veterum et recentiorum locos in potissimis apponere integros, quo errores evitentur tutius, quoque facilior existat laboriosa lectio.

Haec erant, quae ad Te praefanda habebam, Vir humanissime. Tu igitur iudices nunc, iudicet peritissimus quisque: ego veritatis unice studiosus non invitus cedam maiori. Quibus vero mea impugnare fuerit operae pretium, eos rogo, primum sine ira et studio agant, et hu-

maniter, non acerbe; ut ipse quos refutavi, ad solam causam intentus, non invidioso nec maligno dente carpsi, quamvis natura pronus ad irrisionem ac severa iudicia: deinde sibi caveant, ne ex una alterave particula totum iudicent opus, aut praeceptas opiniones pro argumentis opponant nostris rationibus; cuius generis adversariis ne respondebo quidem. Quodsi pauci illi, quos idoneos in hoc genere iudices merito dixeris, damnabunt plura quam probabunt, non hercle unquam posthac in huiusmodi quaestionibus deprehendes me ultra communem gustum sapientem. Quis enim, obsecro, in tanta vitae dulcedine, in tanta discendi ac docendi iucunditate, in tanto fructu ex omnis generis scriptorum lectione, ex poeseos, historiae, philosophiae, naturae studio percipiendo, fluxam aetatem consumet nugis colendis doctis quidem, etiam

acutis fortasse, sed ieiunis, vanis, futilibus? Nam equidem haud magni aestimo ingenium et virtutem, unde proba, unde vera, unde fructuosa non nascantur. Sed iam condones quaeso, quod Te diutius moratus sim, Hermanne plurimum venerande; iam enim habes omnia. Vale mihique fave. Scribebam Mannhemii, feriis Pentecostes MDCCCVIII.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. Prooemium. Altior, quam vocant, critica duplex. Altera posita in diasceue investiganda. Diasceue passim tentata ab histrionibus.

CAP. II. Poetae suas ipsi fabulas refingunt.

CAP. III. Recentiores poetae vetustiorum interpolarit fabulas. *Aeschyli* satyrica dramata. Eius quaenam fuerit in tragoedia familia, quinam diasceuastae.

CAP. IV. Eumenides Aeschyli iterum data. Quando primum in scena commissa sit. Diminutio chori quando lege sancita. Num mulieres Athenis tragoedias spectaverint. Utram Eumenidum habeamus editionem.

CAP. V. De temporibus Aeschyli, inprimis de Sicula profectione. Eiusdem Σικελισμός. De chronologia dramatum suorum. Alia nonnulla de Aeschyli fabularum historia.

CAP. VI. Chori tragici numerus quantus fuerit, inprimis in Aeschyli Agamemnone, Supplicibus, Prometheo, Septem adversus Thebas. Alia de chori oeconomia.

CAP. VII. Explicatur chori ratio in Euripideis nonnullis tragoediis. Böttigeri commentum quoddam de mutis personis refutatum.

CAP. VIII. *Sophoclis* fabulae quot fuerint. Eiusdem familia. 98

CAP. IX. Sophocleárum fabularum tituli superstites quot. Quaenam maiori Sophocli tribuendae sint, e fragmentorum indole diiudicari nequit. Num in Sophoclem Plato fuerit iniquior. 118

CAP. X. Satyrica dramata in Sophocleis quae, numque omnia indubitata. 125

CAP. XI. Quaenam fabulae Sophoclis maioris certe sint. De earum temporibus quaedam. Epilogus. 133

CAP. XII. Iudaei falsarii scenicis poetis versus supponunt. De interpolatione sextae Platonicae epistolae. 146

CAP. XIII. *Euripidis* Medea drama correctum. 164

CAP. XIV. In Graecis tragoediis, praesertim Euripidis, multa in spectatorum, multa in partium favorem dicuntur, multa ex temporis historia illustranda. In Hippolyti coronati iterata recensione temporum est habita ratio. Num de Palamede similiter statuendum sit.

CAP. XV. Explicantur ex historia loci quidam tragicorum, et iudicantur inde aliquot fabularum tempora. De peplo Panathenaico in Ione Euripidis designato, et de peplo Minervae Dresdensis. Quaedam de Gigantomachia.

CAP. XVI. Feriae, quibus fabulae doceri solitae. Sophoclis et Euripidis obitus diligentius definitus. Didascalica alia.

CAP. XVII. Iphigeniae Aulidensis editio duplex; quae nunc habetur, est posterior. Ea et Alcmaeon bis commissae. Quando acta Taurica Iphigenia sit. Eius, quae superest, Aulidensis Iphigeniae auctor non est Euripides Mnesarchi.

CAP. XVIII. Euripides minor, Iphigeniae Aulidensis editor et interpolator. Nonnulla de Rheso, et num plura Euripidis Mnesarchi sint ac fuerint spuria.

CAP. XIX. Quid propter Ranas Aristophanis in repetita Aulidensis Iphigeniae editione novatum sit. Minoris Euripidis editio Homericorum carminum, cuius deteguntur variae lectiones.

CAP. XX. Sophoclem atque Euripidem, illum Aeschyli, hunc utriusque sententias et versus in suum usum vertisse. Euripides eadem dicta saepius ponit. Generaliora quaedam de imitationibus. In iisdem rebus diversas Euripides fabulas sequitur. Metra negligentius elaborata in Aulidensi Iphigenia. Antistrophica in Heraclidis restituta.

CAP. XXI. Phoenissarum versus ultimi spurii. Cur multae Graecorum tragoediae productae sint ultra unius actionis fines legitimos.

CAP. XXII. Vestigia iteratae recensionis Aulidensis Iphigeniae cernuntur in variis lectionibus. Eiusmodi censurae viam monstravit Valckenarius ad Hippolytum.

CAP. XXIII. An Baccharum Euripidis repetita editio extiterit a minore confecta, et utra sit superstes.

CAP. XXIV. Indicia correctionis in Bacchis quae superest. Bacchae Attii. Intermiscentur metrica quaedam. Demosthenis aetate actae fabulae principum tragoediae.

Caput I.

Prooemium. Altior, quam vocant, critica duplex. Altera posita in diasceue investiganda. Diasceue passim tentata ab histrionibus.

Aestate anni superioris, quum a Platone, deliciis meis, cui partem certe vitæ dicare constitui, revocassem animum meum, præter alia studia coepi Euripidis lectionem aliquamdiu intermissam, repetere studiosius. Non cæcutiebam ad nævos eius, splendidos illos, sed tamen passim turpissimos: verum, si non Sophoclis perfectione, aut gravitate Aeschyli, Vi ac Robore stipati, at mira dulcedine, acumine dictionis, commovendorum affectuum facultate præcipua, ubertate ingenii corripuit me, deliniit, delectavit. Et delectabat inter veteres Socratem, Platonem, Aristotelem, et quotquot illorum fuerunt similes. Sic Ovidium, quo nemo Euripidi propior fuit et virtutibus et vitiis, plurimi adamarunt, non ignari, quantum absit a

consummata carminis praestantia: sic Senecae philosopha scripta, licet non uno nomine reprehendenda, miramur omnes. Inter alias tragoedias tenuit me utraque Iphigenia, in qua ingenio tali, quale est nostri poetae, amplissimum spatium patebat ostentandarum virium. Ipsius mores tenerrimi et virtus plus quam virilis, Agamemnonis, amantissimi patris sed eiusdem ducis fidelissimi, anceps conditio, ingenua Atridarum contentio, Clytaemnestrae maternus dolor, Orestae insania, amicitia Pyladae, deorum barbarorumque immanis crudelitas, postremo tot casuum gravissimorum laetissima conversio, haec omnia Euripidi satis largam materiam suppeditabant in audientium pectoribus excitandi pios ac suaves, tristes et luctuosos sensus, theatri capiendi sermonum copia et subtilitate, demulcendi melleis suis verbis, horribilibus adspectibus et descriptionibus in terrorem coniiciendi. Sed in hac lectione nihil minus mihi propositum fuit, quam ut ipsum Euripidem sive interpretando sive emendando adiuuarem: solam ego voluptatem, quam inde haurirem, solam utilitatem ad Graecae linguae et universae antiquitatis cognitionem spectabam: et dedita etiam opera cavebam, ne, dum vellem me recreare, in criticarum quaestionum turbas inciderem invitus. Mirum

consilium, inquis, et parum honestum profitenti criticam. Fateor. Attamen, nonne qui veteres auctores explicant et corrigunt, hoc suum munus mistum ex multa amoenitate cum quodam tædio, suscipiunt imprimis in gratiam eorum, quorum sensus boni et pulcri hæc facetissima humani ingenii monumenta penitus cognoscere gestit mirifice, sed desolatus est mentis facultate ea, quæ diuturna exercitatione roborata valet ex falsis vera exquirere arte quadam divina? Atqui illiberale sit, alienæ voluptati laboriose servire, in ipsam sese ingurgitare aut nolle aut non posse. Sic ad iucunditatem sedulo attento, istorum instar aestheticorum interpretum, sed aliter, accidit inopinato luctuosissimum, ut hac e luxuria et quasi libidine excuterer. In Aulidensi Iphigenia ultro se mihi obtulit, quod aliquamdiu turbaret animum securum; etsi, quantos mihi rationum fluctus excitassem, et in quanto pelago, non praevidebam, nec tam late suspicabar istam pestem manaturam: sed etiam sic tempestati me diffidebam committere. Ita reluctabar principio, quantum poteram: nolebam abuti viribus quantuliscunque ad huius quoque poetæ intactam prope integritatem labefactandam: verum paullatim gratius factum inventum, quod sua sponte natum sit. Amicos

advocabam, quibuscum tum Berolini vivebam, Buttmannum et Heindorfium, ut meæ me arguerent sive temeritatis sive indulgentiæ; unde quid reportavi, nisi meæ suspicionis confirmationem plenissimam? Præter eos duorum maxime intelligentium virorum non nigri lapilli ceciderunt, postquam cum iis partim per epistolas, partim coram potissimas res communicavi: laudabili, opinor, more: certe commodo litterarum fieret, si nihil quidquam prius ederetur, quam principum aliquot in eo genere hominum sententias tulisset. Ita factum, ut non indignum videretur scriptum, quod publici iuris fieret. In quo si plura reperies pervulgata, agi cogites talem causam, cui plures fortasse attenturi sint artis minus periti; quibus suppeditari hæc ab oratore debent licet genuinis iudicibus non desiderata, nec tam ad cognoscendum quam ad intelligendum, quum perinde sit, quid censeant. Quorum numerum si respexi, deprecari tamen eorum suffragia licebit, quamvis magna existimatione dignorum in aliis rebus. Sunt enim inter hos viri eruditionis et copiosæ et accuratae, partim elegantiores, partim umbratici, qui religione, raro invidia, et hac, si qua, inscii, ubi de celebri quopiam libro, an is genuinus sit, audierunt ambigi, eam

dubitationem neutiquam tolerandam censent, et nihil aliud nisi religionis tollunt calumniam. Fatentur ingenue se non intelligere subtiliores illas ratiocinationes: neque tamen suorum luminum hebetiorem obtutum incusant, sed criticorum inania somnia; non suæ menti offusam caliginem, sed vanitatem rerum, et, cum Hippia Sophista, visum effugientia ramenta et præsegmina sermonum. Certissima pro incertis, incerta pro certissimis habent, et modo ne superstitio obsit, ubi de aliqua re duodecim suspiciones protuleris, pariter te acute et profunde disseruisse putant, quam quum simplicem et unam sententiam succincte confirmaveris: immo doctiorem etiam illum et honestiorem putant, qui pro una opinione multas noverit, necdum omnem verecundiam ita deposuerit, ut suas cogitationes pro veris venditet. Horum alii parvam, alii nullam inexpugnabilem veritatem in criticis statuunt, sed nihilo minus eam artem, maxima ex parte erassa invitaque Minerva, plaudentibus multis exercent, aut verius, ab illa exercentur. Ab hoc ieiuno genere doctorum longe diversum alterum ingeniorum summorum, qui, dum aliis doctrinis intenti fuerunt, criticam disciplinam fere neglexerunt; itaque ubi occasio fert (et fert, ubicunque libet), suum in illam vehe-

mentissimum odium expromunt, et hac ratione arti, olim cognomine Divae celebratæ, apud imperitum populum invidiam conciliant auctoritate sua. Non mea est sententia, ut immodicis laudibus criticam prædicem, nec probantur mihi nonnulli, qui litteratores esse volunt, quum unicam gloriam in re ponunt, in qua sola peragendam vitam mihi non vitalem ducerem: immo credo, qui Divam appellaverint, parum fortasse peritos fuisse rerum divinarum, et mortalem mulierem inter deos retulisse, scilicet ut Thetidis consortio Pelei fierent: multi certe, qui templa deae supplices repetunt, eam non prout decet celebrant, nec quam venerentur, probe norunt: non illa ex syllabis et apicibus pendet, sed ubi universam potius quam decerptam forte particulam spectes, non alia tibi videbitur esse, quam altera pars doni illius divini, quod de Jovis arce a quodam Prometheo hominum gratia una cum lucidissima flamma deiectum est: quod quale sit Platonis docet Philebus. Verum hoc intelligant, quibus id ipsum munus a diis concessum est: nobis revertendum ad ea, quæ dixi ingenia. Hi incredibili prope errore metuunt, ne historiae cognitio detrimentum capiat ex studio critices, et iam Livio et Thucydidi timere incipiunt: quibus nos quidem

sublata critica timeremus magnopere. Et verendum est, qui pari iure spuria quædam Ciceronis aut Sallustii et Livium pro suppositiis putet haberi posse, ei ne confictis fraudulenter Livii fragmentis imponi queat, ac ne, propagata latius superstitione, postremo vel Annii Viterbiensis figmenta ferantur pro indubitatis. Omnino vero hi magni cetera viri non minus quam humiliores illi aera non distinguunt a lupinis; et monendi sunt, ut pareant veteri dicto, τὰ ἑαυτοῦ πράττειν, sive, ut versu utar,

Quam quisque norit artem, in ea se exerceat.

Alii sunt iudices, quos quaerimus. Eos non deterrebunt hi scrupuli, quominus novam sententiam audiant de tragoedia quamvis nota et frequentissime lectitata privatim et in scholis. Neque enim ignorant, iniquo casu seu mavis conditione in ipsis, qui quotidie tractantur, scriptoribus plurimum resedisse erroris. Argumento sunt Homerus et Cicero, et ex leviоribus ipse Nepos ac Phaedrus fabularum poeta, qui singulis diebus a multis millibus ludimagistrorum decantati, exspectant adhuc censorem suum. Sed causas indagare huius neglectionis, ut leve sit, est tamen longum, nec caret invidia. Et quisnam vulgo præceptorum hoc imputaverit, quum summi critici, Bentleius, Hemsterhusius, Valckenarius, alii,

tot tantaque et praetermiserint et falso pronunciarint, quæ posteræ prolis acumen exercerent? Nam profecto nulla disciplina tantæ peccatorum multitudini obnoxia est, quantæ critica. Quocirca, si quid a nobis gravius erratum est: et est certe: veniam, ut damus, ita petimus vicissim.

Critices eius partis, quæ altior appellari solet, duo imprimis genera sunt: alterum in universis operibus aut incertum aut nullum auctoris nomen præferentibus, cui eripiat, cui vindicet, inquirit; alterum dignoscit, utrum liber, quem tractat, primitiva et genuina forma servatus, an non modo labe temporis et transscribentium oscitatione, quod est verbalis criticæ, sed emendatorum sive bonorum sive malorum opera auctus, mutilatus, immutatus varie ad nos pervenerit: utrumque tam late patet in utriusque linguae monumentis et in ipsis signis lapideis, ut dubites, utrius esse debeat maius imperium. Sed de principatu disciplinae ne dimicent; suis quæque se finibus teneat: ita humano generi utilis erit. Et nunc quidem utriusque speciei vim usumque explicare nihil attinet: tantum qualibus scriptis potissimum adhibendæ sint, indicabitur. Prior igitur eximium locum habere videtur in litterarum genere eo, quod, quum apud veteres optimis seculis circa fora,

stoas, gymnasia versatum esset, ita tamen, ut etiam chartis mandaretur, lapsis dein civitatum fortunis ex hoc publico conspectu in museorum et scholarum umbras relegatum est; ubi alius aemulatione vel ostentatione, alius fraude, exercitationis gratia alius ad clara exempla sese componerent: id quod factum in eloquentia et sapientiae studio luculento argumento demonstrant ex oratoribus Lysias, Demosthenes, Cicero, ex philosophis Xenophon, Aeschines, Cebes, Plato, quorum auctoritatem mentiti aliqui deterioris notæ libelli non sine magna veneratione ad nos transmissi sunt. Verum haec quid opus est nunc prosequi diligentius? Transeamus potius ad alteram partem, cuius arctior est cum nostro fine coniunctio. Nam omnes ingenuae nationes, ab incunabulis usque summum eruditionis fastigium carminis sermonisque amantissimæ, habere solent opera, memoria sive scriptis consignata, quæ non sepulta in thecis iacent, sed in omnium ore quasi obambulant. Haec est beata vatum poetarumque stirps, qui non in libris suis, ut alii docti, quod dicitur, vivunt: sane vitam passim non dissimilem morti aut certe tristi habitationi furiosorum illorum, qui in sepulcris degebant: sed qui defuncti in ipsa diei laetissima aura et in alma solis luce positi sunt. Sin autem

in iis terris, in quibus iam publicæ res privatæ factæ sunt, adhuc poetæ publici manserunt; quanto magis apud Græcos fuisse debent, apud quos fere pauca privata, communia plurima essent? In quorum actione et recitatione summum apud eos studium positum est, paullatim ut multa necesse sit emendata, corrupta, dempta, adiecta esse. Itaque in illis præcipue hoc critici munus spectatur. Sic in Homericis carminibus quantum sibi rhapsodi et diasceuastae sumpserint, nunc eruditior nemo ignorat: verum qui in epico carmine rhapsodi sunt, iidem in dramate actores habendi; nec dubium ab his pronunciata passim esse quædam a magistro non tradita; ut etiamnum videmus fieri. Atque hoc impunius licebat post obitum poetæ, si qua, quod Aeschylo contigit et Euripidi, defuncti dramata exhibebantur. Nam quis negare ausit, ubi semel in pulpito aliquid aliter, quam poeta scripserat, recitatum esset, facile id in vulgaria exempla transiisse? Paucos enim tum dramatum codices habebant: audiebantur magis quam legebantur. Quodsi tragoediæ Graecæ libraria quadam mercatura tam late propagatae essent brevi tempore, an tu credis Athenienses captivos a Siculis, hominibus et acerrimis et Atticae plebi infensissimis, aliquot versuum pretio fore

dimissos? Id quod tradit Plutarchus loco maxime celebrato Nic. p. 542. C. Ἔνιοι δὲ καὶ, inquit, δι' Εὐριπίδην ἐσώθησαν. μάλιστα γὰρ, ὡς ἔοικε, τῶν ἐντὸς Ἑλλήνων ἐπόθησαν αὐτοῦ τὴν μοῦσαν οἱ περὶ Σικελίαν· καὶ μικρὰ τῶν ἀφικομένων ἑκάστοτε δείγματα καὶ γεύματα κομιζόντων ἐκμανθάνοντες ἀγαπητῶς μετεδίδοσαν ἀλλήλοις· τότε γοῦν φασὶ τῶν σωθέντων οἴκαδε συχνοὺς ἀσπάσασθαι τὸν Εὐριπίδην φιλοφρόνως, καὶ διηγεῖσθαι τοὺς μὲν ὅτι δουλεύοντες ἀφείθησαν ἐκδιδάξαντες ὅσα τῶν ἐκείνου ποιημάτων ἐμέμνηντο, τοὺς δ' ὅτι πλανώμενοι μετὰ τὴν μάχην τροφῆς καὶ ὕδατος μετέλαβον (τινὰ) τῶν μελῶν ἅσαντες. οὐ δεῖ δὲ θαυμάζειν, ὅτι τοῦ Καυνίου φασὶ πλοίου προσφερομένου τοῖς λιμέσιν ὑπὸ λῃστρίδων διωκομένου μὴ μάχεσθαι (l. δέχεσθαι) τοπρῶτον, ἀλλ' ἀπείργειν· εἶτα μέντοι διαπυνθανομένους εἰ γιγνώσκουσιν ἄσματα τοῦ Εὐριπίδου, φησάντων ἐκείνων, οὕτω παρεῖναι καὶ καταγαγεῖν τὸ πλοῖον. Itaque non modo in Sicilia, sed Syracusis, florentissima civitate, aut nulli aut carissimi Euripidis libri fuerunt, quos tamen summo desiderio appetebant, ἐπόθησαν, adeo ut minutissima quaeque frustula, δείγματα καὶ γεύματα, non repudiarent. Cuius desiderii causa non in solo bello Atheniensium et Syracusanorum quærenda est; sed in Græcia ante Ptolemæos, Romæ vero ante

Cæsares nulla prope fuit libraria mercatura, quæ ne tum quidem floruit, sed prima cepit initia, postquam Alexandriæ et Pergami magnæ bibliothecæ congeri coeptæ sunt, ac Romæ geminum Janum spectare Horatii Epistolæ visæ I, 20, 2.

Scilicet ut prostent Sosiorum pumice mundae.

Quæ quum ita sint, quid obstat, quominus in tragoediis, quæ supersunt, vestigia interpolationis remanserint? Nempe non tanta, inquis, Græcorum socordia in præclarissimis Atticæ scenæ monumentis fuit, quæ non solum hominum, sed deorum etiam, si dicere fas est, voluptati inserviret: et multo maiorem quam nunc curam in dramatum meditatione ponere histriones oportebat, ne, quod accidit Hegelocho actori, quum pronunciaret versum Orestæ Euripidei 279. ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν' ὁρῶ, ob leviter vitiata verba Comicorum sale perfricati, fabula fierent. V. Schol. et intpp. Accedit, ais, quod a Lycurgo oratore tempestive lex lata est, quæ triumvirorum Tragicorum dramata quasi consecraret et instar thesauri in dei templo positi habere iuberet, itaque ab omni corruptione in æternum vindicaret. Lex traditur ab Auctore vitt. X Oratt. p. 841. F. ὡς χαλκᾶς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν, Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου, καὶ τὰς

τραγῳδίας αὐτῶν ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν, καὶ τὸν γραμματέα τῆς πόλεως παραγιγνώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις· οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι. Cf. Petit. Legg. Att. p. 68. et Gesner. ad Quintil. X, 1, 66. Haec asservata publice exemplaria esse ea, quæ teste locupletissimo Galeno in Hippocr. Epidem. III. Comm. II. T. V, p. 412. ed. Basil. Ptolemaeus Euergeta interposito pignore XV talentorum ab Atheniensibus petiit describenda, sed relicto pignore in sua bibliotheca posuit, restitutis, quos inde describi curaverat, nitidissimis codicibus. Abs quibus, ut maxime genuinis, dubium non esse censes, quin Alexandrini Grammatici suas editiones duxerint, imprimis Byzantius Aristophanes, quem Sophocli, Euripidi, Comico Aristophani operam dicasse novimus. V. Argumm. Soph. et Schol. Eurip. Orest. 709. 1037. 1287. Hippol. 172. 612. Sic fieri plane non potuisse, ut illae depravationes, si qua olim extiterint, nostra ætate superstites essent. At haec argumenta omnia vide ne pro nobis potius quam contra nos pugnent. Nam si omnes Tragicorum codices tum consensissent, quonam prætextu Atticos illos Ptolemæus ad describendum petiisset? An quod nullos haberet rex ditissimus? Immo quod meliores cupiebat iis, quibus hactenus usus erat. Cur autem

Lycurgus eam legem tulit, ne Triumvirorum fabulæ ab aliis ederentur, nisi a poetis et histrionibus paullatim vitiatæ essent? Cui rei finem is imponere voluit. Sed Lycurgus ea tandem Olympiade natus est, qua vitam reliquerunt Sophocles et Euripides, Aeschylo recentiores, Ol. XCIII, fato functus Ol. CXIII; et ante quadragesimum certe annum decretum illud vix sanxerit, hoc est, ante Ol. CIII; quo tempore ab actoribus multis iam modis interpolata esse dramata poterant. Ita tantum abest, ut institutum hoc tragoediarum integritatem servaverit, ut etiam factas pridem mutationes confirmarit, et confirmatas bona fide Grammaticis tradiderit. Quid quod interpolationes, præsertim in Euripidis nobilioribus dramatis etiamnum apparent tales, quas præter histriones aliis imputare nequeas? Hoc ipsis veterum testimoniis diserte probatur. Schol. Eurip. Phoen. 271. *Οἱ ὑποκριταὶ διὰ τὸ δυσέκφορον μεταπλάττουσι τὴν λέξιν.* Schol. Eurip. Orest. 1372. *Τούτους τοὺς τρεῖς στίχους οὐκ ἄν τις συγχωρήσειεν Εὐριπίδου εἶναι, ἀλλὰ μᾶλλον τῶν ὑποκριτῶν.* Schol. Eurip. Med. 355. *Οὐ γάρ τι δράσεις*] *Δίδυμος μετὰ τοῦτον φέρει τὸ Σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ', ἵν' ἔστρωται λέχος, καὶ μέμφεται τοῖς ὑποκριταῖς ὡς ἀκαίρως αὐτὸν τάσσουσιν.* Vs. 379. *Δίδυμος σημειοῦται, ὅτι κακῶς οἱ ὑποκριταὶ τάσσουσιν*

ἐπὶ τὸ β' τὸ Σιγῇ δόμους εἰσβᾶσα, καύσω ἢ σφάξω αὐτούς. Argum. Rhesi e Ms. Florentino ap. Valck. Diatr. p. 89. Καί ἐν ἐνίοις δὲ τῶν ἀντιγράφων ἕτερός τις φέρεται πρόλογος πεζὸς πάνυ καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ, καὶ τάχα ἄν τινες τῶν ὑποκριτῶν διεσκευακότες εἶεν αὐτόν. Plutarch. T. II, p. 334. E. de Alexandro: Κωμῳδοὶ δὲ ἦσαν οἱ περὶ Λύκωνα τὸν Σκαρφέα· τούτῳ δὲ εἴς τινα κωμῳδίαν ἐμβαλόντι στίχον αἰτητικὸν γελάσας ἔδωκε δέκα τάλαντα. Hæc Valckenarius maximam partem citavit ad Phoeniss. p. 433. qui praeeunte Piersono Verisim. p. 57 sqq. multa eiusmodi indagavit, ex quibus quaedam apponere non abs re fuerit. Ita ad Phoeniss. l. c. eiici vult hos versus Medeae 379. 380. propter vss. 41. 42.

Ἢ θηκτὸν ὥσω φάσγανον δι' ἥπατος,
Σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ', ἵν' ἔστρωται λέχος;

Alterum versum damnaverat iam Didymus: Valckenarius etiam priorem addit, genuinum Euripidis versum censens excidisse. Versum 778.

Γάμους τυράννων, οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει,

consutum ab histrionibus putat e vss. 17. 578. 700; item vs. 784 sq.

Πέμψω γὰρ αὐτοὺς δῶρ' ἔχοντας ἐν χεροῖν,
Νύμφῃ φέροντας, τήνδε μὴ φεύγειν χθόνα,

e vss. 940. 943. 947. 950. 971. Versus 1240. 1241.

Πάντως σφ' ἀνάγκη κατθανεῖν· ἐπεὶ δὲ χρή,
Ἡμεῖς κτενοῦμεν, οἵπερ ἐξεφύσαμεν,

e vss. 1062. 1063. male repetiti dicuntur. Quod legitur Troad. 755.

Μάτην δ' ἐμόχθουν καὶ κατεξάνθην πόνοις,

idem est in Medea 1030. nisi quod ibi habemus ἄλλως p. μάτην. Ad hoc Valckenarius l. c. p. 398. *Quandoquidem interpolatum est Medeae drama, versus illic videri posset e Troasin intersertus: sed contra deberi suspicor in Troasin histrionibus, qui loci meminerant e Medea.* Versum 304.

Μηδ' ἡσυχαίαν ἀλλὰ θατέρου τρόπου,

recte Piersonus repetitum dicit e vs. 808. Medeae versus 1006. 1007.

Τί σὴν ἔτρεψας ἔμπαλιν παρηίδα,
Κοὐκ ἀσμένη τόνδ' ἐξ ἐμοῦ δέχει λόγον;

histrionibus deberi monet apud eundem Valckenarius, cuius haec quoque addo. *Plura supersunt*, ait, *tum in hoc dramate, tum in Hippolyto et Alcestide praesertim: sed haec pervestigaturi tamen meminerint* τὸ μηδὲν ἄγαν. De Hippolyto ipse disseruit: ex Alcestide unum exemplum afferam quamquam iam Piersono p. 68. notatum. Hic est vs. 312.

Ὃν καὶ προσεῖπε καὶ προσερρήθη πάλιν,

petitus ex vs. 192. Sed egregium praeceptum, *Nihil nimis*, minus quam debebat, servasse Phoenissarum interpres videtur, ubi variae lectionis etiam minutioris originem ab histrionum interpolatione repetit; a quibus vix cuiquam persuaserit profectum esse, quod Phoeniss. vs. 396.

Τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών, alii habent τὰς τῶν πολιτῶν; aut quod vs. 996.

Προσηγορήσων εἶμι καὶ σώσω βίον,

legitur etiam πόλιν, ut p. 140. p. 362. coniicit. Nec multo mihi apertius est, quod p. 458. de vss. 1368. 1369. docet. Verum hoc utut est, bene rem Valckenarius perspectam habuit, etiamsi non omnia singillatim sunt extra dubitationem posita: atque ut optimum est, et tenuia haec elementa ea, quam capiunt, perspicuitate tractare, ut ex perfectis articulis perfectum corpus construatur, ita unam quandam particulam laborare et universum valere corpus, quam contra melius est. Quare nos, modo sententia, quam vindicare conamur, nobis vigeat, in rerum humanarum imbecillitate, an una et altera littera aegrotet, non magnopere curabimus.

Caput II.

Poetae suas ipsi fabulas refinguut.

In praecedente disputatione actores composui rhapsodis. Hoc si quis ita intelligeret, quasi ego eandem Iliadis et Sophocleae fabulae putarem rationem esse, non possem conqueri, quum mihi oestrum dierum obiiceret canicularium. Nam toto coelo distant a cantatis scripta: quod, ut multi non perspiciant, tamen ipsis flantibus etesiis nequibat latere cogitantem, nedum nunc per brumam scribentem. In nonnullis tantum rebus scenicorum poetarum conditio convenit cum priscis vatibus. Sic, ni fallor, ut Homeri, ita etiam trium Tragicorum plures editiones apud veteres ferebantur: compares modo narrationes de illius ἐκδόσεσι πολιτικαῖς et ἐκ πλοίων ap. Wolf. Prolegg. in Hom. p. CLXXVII. cum sublatione codicum Atticorum, quam paullo ante protulimus. In utrisque praecipua varietatis causa est diasceue: sed quum eaedem res diversis temporibus locisque gestae esse

soleant diversae, aliter haec in epicis genuinis habet, aliter in iis, de quibus agimus, dramatum poetis. In illis emendator semper fere differt a primitivo poëta; in his rarissime: in illis casus regnat et arbitrium, in his ratio potissimum: certe maior libertas est in colligendis et expoliendis rudioribus carminibus, quam in corrigendis perfectioribus scriptis. Plurimi igitur auctorum Graecorum scripta sua, etsi edita, posthac accuratius elimaverunt: pedestri sermone scribentium pauciores, ut fortasse Plato, certe iudice Wolfio Prolegg. ad Hom. p. CLIII. qui niti videtur narratione de repertis post obitum philosophi schedis sive ceris, in quibus multifariam perscriptum Politiae principium esset. V. Panaet. et Euphorion. ap. Diog. L. III, 37. Quintilian. VIII, 6. Cic. Cat. mai. c. 5. coll. Muret. V. L. XVIII, 8. Victor. V. L. IX, 5. Quamquam nescio an potius tum, quum libros de Republica elaborare coepisset, quam post editos hae sciduIae exaratae fuerint. Sed in scenica poesi nihil usitatius diasceue. Egit de ea satis diligenter Casaubonus in Athen. III, 28. p. 211. ex quo pauca posui admistis nostris: ita tamen ut omnia excussa non putem. In quo mihi non succenseo magnopere: potius plura fortasse, quam necesse erat, congessisse mihi videor. Est igitur fabula διεσκευασμένη sive

ἐπιδιεσκευασμένη, *correcta*, ut vocat Quintilianus X, 1. *retractata et expolita*, ut Gellius III, 3. ea, quae, quum semel iam edita esset, sive quod non stetit, sive ob aliam quamcunque causam, a poeta ita emendatur, ut quaedam abiiciantur, alia addantur, alia immutentur, idque partim in actionis conformatione, partim in elocutione, tam in totis sententiis ac scenis, quam in singulis dictionibus et verbis. Haec correctio fiebat potissimum eo consilio, ut iterum in scenam prodiret fabula: raro emendata scripto tantum edita est, ut Maricas Eupolidis; v. Casaub. in Athen. VI, 7. p. 416. et, ut videtur, Aristophanis Nubes; v. Hermann. Praef. p. XX sqq. Veteres docti utramque editionem in manibus habere solebant: nobis sive casu sive quadam providentia modo prior, modo posterior servata est: ex deperdita passim fragmenta per varios fontes ac rivulos ad nos devenerunt. Ex Euripidis tragoediis praeter eas, de quibus infra dicetur fusius, Medeam, Hippolytum, Iphigeniam Aulidensem, Bacchas, Autolyci satyrici dramatis prior editio memoratur Athenaeo X, p. 413. C. et Phrixum emendatam esse docet Schol. Aristoph. Ran. 1266. Idem colligo de Alcmaeone: nam haec fabula citatur iam Aristoph. Eqq. 1299. ubi conf. Schol. Equites autem docta est comoedia Ol. LXXXVIII,

4. v. Petiti Misc. I, 5. itaque Alcmaeonis editio, quae producta est Ol. XCIII, 3. secundum vetera testimonia, ea fuit altera. Eodem argumenti genere abuti possis ad demonstrandum duplicem Euripidis Philoctetam; quippe quae tragoedia data sit Ol. LXXXVII, 1. secundum didascaliam Medeae, sed citatur iam ap. Aristoph. Acharnensium vs. 423. quae vulgo Archonte Euthymene Ol. LXXXV, 4. edita putatur esse. Sed cadit haec ratio reputanti, Acharnenses editam esse Archonte Euthydemo Ol. LXXXVIII, 3. Petito ostendente Misc. I, 5. Sophoclis plures extabant correctae fabulae: citatur *Θυέστης δεύτερος*, *Φινεὺς πρότερος*, *Τυρὼ πρωτέρα*, *Λήμνιαι πρότεραι*. V. Casaub. in Athen. VII, 4. p. 487. p. 495. p. 496. et Brunckium in collectione fragmentorum. De Aeschylo mox paullo disputabimus. Aristophanis non una huc pertinet fabula. Plutus affertur prior et posterior: noster posterior potissimum. V. Petitus Misc. I, 11. 16. Kusteri Prooem. et Hemsterhusius citatis locis in Ind. v. *Pluti comoedia*. De Nubibus optime dixit Hermannus in praefatione sua, et eam, quae superest, ex utraque editione mixtam ostendit: prioris duo supersunt fragmenta ap. Diog. L. II, 18. ac Suid. V. *πήνιον*. *Θεσμοφοριαζουσῶν* superest prior editio: alterius plures habemus reliquias. Conf. Casaub.

in Athen. I, 23. p. 67. Schol. Aristoph. Plut. 159. et ibi Hemsterh. Gell. XV, 10. Moer. v. Πομφόλυγας, Clem. Alex. Paedagog. II, p. 210. Polluc. VII, 95. Schol. Plat. Ruhnk. p. 16. Pierson. ad Moer. p. 4. ex Lex. Ms. Polluc. IX, 36. Erotian. Lex. Hippocr. v. οἶνος ἀνθοσμίας, alios. Eiusdem Comici memoratur Aeolosicon editionis secundae in fragmentis. Pax an iterum edita sit, ambigitur. Sed et Vespae et Ranae, secundum Argumenti scriptorem bis datae, dubito vel maxime an correctae sint. Eupolidis duplex fuit Autolycus: v. Schneider. in Xenoph. Opuscc. p. 131. Valde dubia est Schleiermacheri nostri coniectura de repetita fabula Pherecratis, cui nomen Ἀγρίοις. V. versionem Platonis P. I. T. I, p. 219. Menandri duplex fabula Adelphi, Schol. Plat. Ruhnk. p. 69. duplex Epiclerus, notante Fabricio in Catalogo deperditorum comicorum: duplex Eubuli Damalis ap. Suid. et Timesithei Tragici Danaides. Emendatae sunt Archippi Amphitruo, Epicharmi Ἥβης γάμος, de quibus dixit Casaubonus: item Diphili Synoris ap. Athen. VI, p. 247. C. Alexidis Phrygius ib. X. p. 429. E. eiusdemque Demetrius ib. XIV, p. 663. C. Nonnullae fabulae una cum pristina forma nomen quoque exuerunt. Diphili Miles sive Eunuchus fuit diasceue τοῦ Αἱρησιτείχους, Athen. IX. p. 496. F. Antiphanis Butalion

diasceue τῶν Ἀγροίκων ἑνός, ib. VIII, p. 358. E. ita et Menandri Andria et Perinthia, secundum ea, quae dicit Ter. Andr. Prol. vs. 9. et ibi Donat. Verum, ut supra dixi rarissime δρᾶμα διεσκευασμένον tantum editum scripto esse, ita contra affirmaverim, nullam temere fabulam a bono poeta iterum productam esse, quin prius correcta esset, nisi forte una et altera postulante populo, quod Ranis Aristophanis videtur contigisse. Nam, ut nihil dicam de studio emendandi, Graecae aures aliquid semper appetebant novi: et si quis denuo de praemio dimicare publice volebat, nova afferre debebat, ne res iudicata iterum iudicaretur. At quid commoror in hoc, quum ipse Aristophanes impostoris nomine notet eum, qui eadem plus semel producat? Ita enim ille in parabasi ad populum Nub. 541.

Κἀγὼ μὲν τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν ποιητὴς οὐ
κομῶ,
Οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν, δὶς καὶ τρὶς
ταὔτ' εἰσάγων.

Hoc facinus mali tantum poetae perpetrasse videntur, et ita quidem, ut correctionem simularent, quando iterato producere fabulam vellent: a qua fraude Aristophanes et optimus quisque abhorrebat. Etiamsi autem drama quoddam superstes novimus bis editum atque adeo correctum esse, summa opus est cautio-

ne in vestigiis perscrutandis: potest enim genuina et integra forma servatum esse: neque tamen secure in vulgata opinione acquiescendum, sed, quae omnis critices natura est, perpetua dubitationum et cautelarum series nectenda erit: sic veritatem, nisi plane assequemur, at certe spectare nobis e longinquo licebit.

Caput III.

Recentiores poetae vetustiorum interpolant fabulas. Aeschyli satyrica dramata. Eius quaenam fuerit in tragoedia familia, quinam diasceuastae.

Consuetudo dramata retractandi non apud veteres unice haesit, sed nostris quoque temporibus poetae, quas olim fabulas fecissent, quando progressu aetatis artisque incremento minus placebant, fecere novas, in eo non exempla antiquorum, sed naturam suamque indolem et iudicium secuti. Verum alius etiam mos nuper in Germania invalescere coepit non modo sua, sed aliorum dramata interpolata edendi, praesertim translata ex aliis populis; in quo genere princeps fuit Frid. Schillerus, cuius inter fabulas habentur

alienae quaedam. Et in collectione quidem operum eius nihil in titulis voluminum monetur, unde ductae sint, sed tantum in singularum fabularum inscriptione: ita ut, deletis forte his dramatum singulorum inscriptionibus, post multa aeva, ubi quale Graecae et Romanae, simile nostrae litterae naufragium passae essent, nemo scire posset, has non proprias Schilleri, sed interpolatas esse. Quin etiam nunc nonnulli non de Shakspearii Macbetho, nec de Racinii Phaedra, sed de Schilleri loquuntur, propterea quod correcta dramata clariora sunt in his terris: contra Iphigeniam Aulidensem et Phoenissas, Euripidis omnes, haud Schilleri, appellare solemus, quod vernaculae fabulae Graecarum non aequant celebritatem. Eodem modo Latini tragici in transferendis Graecis, eodem comici versati sunt: quos utrosque non simpliciter vertisse, sed demisse et addidisse multa, cognitum habemus tum ex deperditis, Ennio, Attio, similibus, tum exemplis Plauti et nobilissimis Terentii. Idem in Graecis ab ipsis Graecis potest factum esse: multo tum maior negligentia fuit in editionibus tragicorum curandis, quam nunc in poetarum nonnullorum operibus colligendis; et ante Aristotelem nullus fere in Graecia critices usus fuit: nec dubitari potest, ut Shakspea-

rium, ita eius sodalem Aeschylum frequentissime correctum esse propter populi gratiam et ingenium omnium excellentissimum, sed antiquitatis, ut censebant, rubigine obsitum et grandiloquentia nimis elatum. Omnes quidem etiam Aristophanis aetate libentes Aeschylum audiebant, quod satis apparet ex Aristoph. Nub. 1368 sqq. et de recentioribus *ex parte* non immerito censere Böttigerus videtur Prolus. de Med. p. 11. nihil nisi Triumvirorum dramata interpolasse eos suoque tempori accommodasse: unde variae corruptelae originem poterant ducere. Sed ut poetae a Jove, deorum principe, ita nos ab Aeschylo, tragicorum Jove, huius rei investigandae capiamus initium. Eo igitur defuncto commissae eius fabulae sunt, idque fiebat ex publico decreto; unde ap. Aristoph. Ran. 892. praedicat Aeschylus:

Ὅτιὴ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι.

ubi Schol. Ἐπεὶ τὰ Αἰσχύλου ἐψηφίσαντο διδάσκειν. Vit. Aeschyl. Ἀθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἠγάπησαν Αἰσχύλον, ὡς ψηφίσασθαι μετὰ θάνατον αὐτοῦ, τὸν βουλόμενον διδάσκειν τὰ Αἰσχύλου, χρυσὸν λαμβάνειν. Quintilian. X, 1, 66. *Tragoedias primus in lucem Aeschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus, saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus: propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posterioribus poetis*

Athenienses permisere, suntque eo modo multi coronati. Firmat Vit. Aeschyl. extr. Οὐκ ὀλίγας δὲ καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν νίκας ἀπηνέγκατο. Philostrat. Vit. Apollon. VI, p. 258. Ὅθεν Ἀθηναῖοι πατέρα μὲν τῆς τραγῳδίας αὐτὸν ἡγοῦντο, ἐκάλουν δὲ καὶ τεθνεῶτα εἰς Διονύσια· τὰ γὰρ τοῦ Αἰσχύλου ψηφισαμένων ἀνεδιδάσκετο καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς. De solo tamen hoc Aeschylo traditur; sed idem infra videbimus in Euripide. Nec contrarium hoc est legi Lycurgeae, de qua modo dicebam: valebat enim decretum de agendis Aeschyli fabulis ante eam perlatam, ut iam explicuit se Petitus Legg. Attic. p. 69. Haec quum ita essent, facile aliquid ex correctis illis publica auctoritate fabulis in Atheniensis civitatis exemplaria veniebat, quae postquam Alexandrina facta erant, nostrorum fons et origo fuerunt. Sic in hoc fortasse poeta quaedam eius critices, quae in Homero est tam feliciter versata, species et umbra esse debet: modo tantum in eo proficere liceret. Accedit, quod de dramatum Aeschyleorum numero iam inter veteres non constabat, quos secutus Suidas XC, Auctor vitae Aeschyli LXX. et satyrica, ut ait, ἀμφὶ τὰ πέντε ponit. Cf. Intpp. ad Catalog. Quod utitur praepositione ἀμφὶ, satis illud, quod volo, demonstrat: ceteroquin numerus satyricorum falsus sit necesse est, ut

facile assentiar Casaubono de poes. satyr. I, 5. p. 166. legenti δεκαπέντε. Huc referenda Κήρυκες, Κίρκη, Κερκύων, Λέων, Πρωτεύς. Proteus quidem Athen. IX, p. 394. A. dicitur τραγικός: sed fidenter repone, ἐν τῷ Σατυρικῷ Πρωτεῖ: eius autem argumentum non petitum est ex Dionysiaco cyclo, ut Stanleius ad Catalogum putat, quod Bacchum primus omnium Proteus Aegyptiorum rex hospitio exceperit, sed ex Odysseae quarto, ubi est Menelai cum Proteo contentio; quapropter Orestiae additum est. Recte etiam Casaubonus p. 166. *Sisyphum Transfugam*, et p. 169. *Prometheum Igniferum* satyrica putat esse, alterum propterea quod quarto loco positus est in didascalia Argum. Aeschyl. Pers. quae suspicio firmatur egregie fragmento, de quo dixerunt Vossius myth. Br. T. II, p. 249. et Schützius ad Prom. vinct. vs. 367. Porro huc pertinere videtur *Amymone*, quod ex argumento est animadversum; non autem, ut nonnulli putant, *Glaucus Potniensis*, ex qua, ut tragica fabula, in Ranis Aristophanes refert notissimum versum:

Ἐφ' ἅρματος γὰρ ἅρμα καὶ νεκρῷ νεκρός:

sed quoniam Schol. Theocr. IV, 62. citat Γλαυκὸν Σατυρικὸν, satyricum est *Glaucus* Πόντιος; id quod ex utriusque argumento amicus olim demonstrabit. *Xantrias* Aeschyli olim existi-

mabamus satyricam fuisse fabulam: tragoediae convenire nomen non videbatur, sed satyricis sannis; nec illud deiiciebat hac me sententia, quod in satyricis chorus Satyris constabat: nempe necesse non erat, ut quae mulieres Xantriae vocantur, eae chorum agerent, licet alias a choro titulus dramatum sumatur: tamen nunc tragicum argumentum fuisse plane novi. Ni fallor, repraesentabatur tristis eversio Minyeiae domus: solae enim Thebis Minyeides Bacchica

> Intempestiva turbantes festa Minerva
> Aut ducunt lanas aut stamina pollice versant,
> Aut haerent telae, famulasque laboribus urgent,

Ovid. Metam. IV, 33. Certe ex Bacchicis est; nam Schol. Aeschyl. Eumen. 26. dicit: Νῦν φησὶν ἐν Παρνασσῷ εἶναι τὰ κατὰ Πενθέα, ἐν δὲ ταῖς Ξαντρίαις ἐν Κιθαιρῶνι: unde idem collegit Stanleius l. c. quem autem inde Pollux X, 26. habet,

> Κάμακες πεύκης οἱ πυρίφλεκτοι„

is anapaesticus apte comparari potest Ovidianis ib. vs. 402.

> Tecta repente quati pinguesque ardere videntur
> Lampades, et rutilis collucere ignibus aedes.

Et optimum omnium est ap. Suid. v. ὀκτώπους. Ἐν δὲ ταῖς Αἰχύλου Ξαντρίαις ἡ Λύσσα ἐπιθειάζουσα ταῖς Βάκχαις φησίν·

Ἐκ ποδῶν ἄνω
Ὑπέρχεται σπαραγμὸς εἰς ἄκρον κάρα,
Κέντημα γλώσσης, σκορπίου βέλος λέγω.

In quo una exemplo Aeschylus fuit Euripidi, Lyssan in Furente Hercule inducenti. Nec minus postremo Baccho convenit illa Juno stipem colligens, nimirum Baccho infensissima, de qua v. Valck. Diatr. p. 11. B. Sed *Argivi* saltem drama satyricum est. Hesych. Ἐμμέλεια, εἶδος ὀρχήσεως· καὶ Πλάτων ἐπαινεῖ τὴν ὄρχησιν καὶ φησὶν, ἢ ἀπὸ τοῦ μέλους ὠνομάσθη, ἢ ἀπὸ τοῦ πρὸς τὰ μέλη γίγνεσθαι. Τραγικὴ δὲ ὄρχησις. Ἀργείοις (ita recte Meursius) δὲ Αἰσχύλος ἀντὶ τοῦ σατυρικὴ, ἥ ἐστι σίκιννις. Argumentum non dubito quin idem sit, quod in Sophoclis Ἀχαιῶν συλλόγῳ, modo huc pertineat, quod est ap. Athen. I, p. 17. C. Αἰσχύλος οὖν ἁπρεπῶς που παράγει μεθύοντας τοὺς Ἕλληνας, ὡς καὶ τὰς ἀμίδας ἀλλήλοις περικαταγνύναι. λέγει γοῦν·

Οὐδ' ἐστὶν, ὅς ποτ' ἀμφ' ἐμοὶ βέλος
Γελωτοποιὸν, τὴν κάκοσμον οὐράνην
Ἐρρίψεν οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
πληγεῖσ' ἐναυάγησεν ὀστρακουμένη,
Χωρὶς μυρηρῶν τευχέων πνέουσ' ἐμοί.

Ubi statim subiiciuntur eadem prope ex Sophoclis Ἀχαιῶν συλλόγῳ satyrico petita: de quo infra dicetur. Habet inde Eustath. ad Odyss. P, p. 642. 40. Ut ex Argivis esse cre-

dam, facit imprimis simillimum illud indidem ductum ap. Harpocration. v. χλῆδος,

Καὶ παλτὰ κἀγκυλητὰ καὶ χλῆδον βαλών,

qui versus in eadem regione videtur positus fuisse; nec audiendus Pollux II, 224. eodem respiciens: καὶ ἡ τραγῳδία, inquit, τὴν ἀμίδα οὐράνην ἐκάλεσεν; voluit is drama satyricum.

Verum de his rebus non est, quod altius inquiramus, quum talem, qualem pauci veterum, sospitatorem, in quem omnium oculi conversi sunt, mox, ut speramus, Aeschylus habiturus sit. Nunc quoniam *multi*, Quintiliano teste, interpolatores Aeschyleorum dramatum coronati sunt, quinam ii fuerint, indagare propositum est: in quibus fortasse unus et alter fuit tragico huic genere non coniunctus; sed ii potissimum videntur in censum venire, ad quos ea poemata quodam veluti hereditario iure pertinebant, eius filii et nepotes aliique propinqui, quos affectasse patriarum correctionem fabularum, quibusque mandasse prae aliis magistratus verisimile est. Hi maxime sunt οἱ περὶ Αἰσχύλον, quibuscum certasse Sophocles dicitur ap. Schol. Aristoph. Ran. 72. nam male Scriptor vitae Sophoclis solum nominat Aeschylum. Filios eius novimus duos, *Bionem* tragicum ap. Suid. et *Euphorionem*, quibus forsan superstes pater,

quum in Sicilia habitaret, edendas Athenis fabulas dedit: certe defuncti patris hic correctas commisit. Suidas: *Εὐφορίων, υἱὸς Αἰσχύλου τοῦ τραγικοῦ, Ἀθηναῖος, τραγικὸς καὶ αὐτός. ὃς καὶ τοῖς τοῦ πατρὸς Αἰσχύλου, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετρᾶκις ἐνίκησεν.* Exemplo, credo, est hoc ap. Byzantium Aristophanem Argum. Eurip. Medeae: *Ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου Ἄρχοντος κατὰ τὴν πζ' Ὀλυμπιάδα. Πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης* etc. Porro huc pertinent *Philocles Philopeithis* ex Aeschyli sorore filius, ap. Suid., non nobilissimus poeta, qui tamen Sophoclem vicit Oedipum Regem docentem sec. Argum. Oed. T. indignante Aristide T. II. p. 422. et huius item filius *Morsimus*, tragicus deterrimus, de quo vide modo Fabricii Catalogum Bibl. Gr. T. II, p. 311. ed. Harles. Idem p. 310. *Melanthium*, hominem aeque vilem, fratrem Morsimi vocat ex Aristoph. Pac. 804. sqq. licet Scholiastes aliter intelligat, suam tamen ipse ignorantiam fatens: et mihi quoque Comici locum consideranti Fabricii opinio maxime videtur probabilis. Sequitur *Astydamas Morsimi* filius, tragicus celeberrimus sed superbus, v. Suid. v. *σαυτὸν ἐπαινεῖς* et Zenob. V, 100. qui primum docuit Ol. XCV, 2. sec. Marmor Parium No. 58. No. 72. Diodor. XIV, p. 420. et inde Scaligerum in Olympiadum

descriptione. CCXL tragoedias scripsisse, quindecies vicisse dicitur ap. Suid. et praecipue quidem Ol. CI, 4. ut est in Marm. Par. De eo Diog. L. II, 43. Καὶ Ἀστυδάμαντα πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον ἐτίμησαν εἰκόνι χαλκῇ: ubi Menagius: Οἱ περὶ Αἰσχύλον *sunt Aeschyli sectatores, Aeschylus plurimis est tragicorum princeps. Eius autem scribendi genus generosum et sublime secutum fuisse Astydamantem verosimile est, quum Morsimi filius esset filii Philoclis, qui sororis Aeschyli filius erat, ut dictum supra.* Ergo non solum genus scribendi Aeschyleum expressisse, sed et fabulas eius novas fecisse Astydamantem, dum licebat, existimo. Hoc tandem prognati *Philocles et Astydamas minores*, de quibus praeter Suidam haec habet Schol. Aristoph. Av. 282. Ἔστι δὲ Φιλοκλῆς τραγῳδίας (male κωμῳδίας vulgo: v. Kuster. ad Suid.) ποιητὴς, καὶ Φιλοπείθους υἱὸς ἐξ Αἰσχύλου ἀδελφῆς. ὅσοι δὲ Ἀλμίωνος αὐτὸν φασὶν, ἐπιθετικῶς λέγουσι διὰ τὸ πικρὸν εἶναι· ἄλμη γαρ ἡ πικρία. γεγόνασι δὲ Φιλοκλεῖς δύο, τραγῳδιῶν ποιηταὶ, εἷς μὲν ὁ Φιλοπείθους (vulgo Φιλοκλέους) ἀπόγονος· ἐκείνου μὲν γὰρ ἦν (erat γὰρ Ἄρης) Μόρσιμος, ἐκ τούτου δὲ Φιλοκλῆς καὶ ἕτερος Ἀστυδάμας (hoc nomen addendum) ὁ κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν περιπεπτωκὼς τῷ νεωτέρῳ Φιλοκλεῖ. Etiam hi videntur Aeschyleae sectae adnumerandi:

emendatas eius fabulas num produxerint ignoro: ex omnibus autem huius tragici interpolationibus numquid in nostris exemplaribus supersit, de eo dubitemus, donec aliquis persuadeat facto periculo. Haec de Graecis. *Romani* autem Latinas fabulas interpolarunt rarius: sin autem factum erat, facile interpolatoris nomine correctae illae ferebantur. Unum novi exemplum de Plautinis comoediis ap. Gell. III, 3. *Non tamen dubium est, quin ista et quae scripta a Plauto non videntur et nomini eius adiiciuntur, veterum poetarum fuerint et ab eo retractatae expolitaeque sint, ac propterea recipiant stilum Plautinum.* Attamen pro Plautinis habebantur vulgo iam aetate *Ael. Stilonis* ac *Ter. Varronis;* quin ipse comicus *Terentius* in prologo Adelph. vs. 7. *Commorientes*, et in prolog. Eunuch. vs. 26. *Colacem* Plauti vocat, cui tamen et has Varro abiudicabat: quae res demonstrat, quam brevi tempore dramata a primitivo auctore transeant ad nomen correctoris.

Caput IV.

Eumenides Aeschyli iterum data. Quando primum in scena commissa sit. Diminutio chori quando lege sancita. Num mulieres Athenis tragoedias spectaverint. Utram Eumenidum habeamus editionem.

Indaganti mihi, num in iis, quae supersunt, Aeschyli tragoediis ulla sit, quam repetito productam dicere possim, oblata est Eumenides fabula: de qua quid invenerim, ordine exponam: et spero effecturum me, ut primum Athenis ab ipso, posthac ibidem ab alio credatur docta esse. Acta est Aeschyli tetralogia *Orestia* (Aristoph. Ran. 1155. et ibi Schol.), Agamemno, Choephori, Eumenides, Proteus satyrica, Philocle Archonte Ol. LXXX, 2. Veteres didascaliae Argum. Agam. Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Ἄρχοντος Φιλοκλέους, Ὀλυμπιάδι εἰκοστῇ ὀγδόῃ (voluit ὀγδοηκοστῇ) ἔτει δευτέρῳ. πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, Χοηφόροις, Εὐμενίσι, Πρωτεῖ σατυρικῷ. Hinc Scaliger in Olymp. descript. Cf. Casaub. de satyr. poes. I, 5. p. 172. Petit. Legg. Att. p. 67. Primus fuit

Aeschylus, aiunt; hoc ne intelligas, *primus commisit;* est potius, *vicit, primas retulit*, πρωτεῖα ἔλαβεν. Aelian. V. H. II, 8. Ἀντηγωνίσαντο ἀλλήλοις Ξενοκλῆς καὶ Εὐριπίδης· καὶ πρῶτός γε ἦν Ξενοκλῆς, ὅστις ποτὲ οὗτός ἐστιν, Οἰδίποδι καὶ Λυκάονι καὶ Βάκχαις καὶ Ἀθάμαντι σατυρικῷ· τούτου δεύτερος Εὐριπίδης ἦν Ἀλεξάνδρῳ καὶ Παλαμήδει καὶ Τρωάσι καὶ Σισύφῳ σατυρικῷ. γελοῖον δὲ, οὐ γάρ; Εὐριπίδην μὲν ἡττᾶσθαι, Ξενοκλέα δὲ νικᾶν, καὶ ταῦτα τοιούτοις δράμασιν. Vicit Hippolytus, quae superest, Euripidis: de ea Argum.: Ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἀμείνονος Ἄρχοντος Ὀλυμπιάδι πζ' ἔτει δ'. πρῶτος Εὐριπίδης, δεύτερος Ἰοφῶν, τριτος Ἴων. Argum. Aristoph. Ran. Φιλωνίδης ἐπεγράφη καὶ ἐνίκα, Φρύνιχος δεύτερος Μούσαις, Πλάτων τρίτος Κλεοφῶντι. Argum. Eqq. Πρῶτος ἐνίκα (Ἀριστοφάνης), δεύτερος Κρατῖνος Σατύροις, τρίτος Ἀριστομένης Ὀλοφύροις. Argum. Vesp. Καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης προάγων, Γλαύκων Πρέσβεσι τρίτος. Ita, qui didascalias perreptare velit, omnibus locis reperiet: minus usitatum est, quod δευτερεῖα victoriam vocat Auctor Argum. VI. Nub. Aristoph. p. 7. ed. Herm. τριτεῖα ignobilia, quae et Sophocles numquam accepit teste vitae Auctore, licet δευτερεῖα aliquoties, cuius rei exemplum habes Argum. Eurip. Med. Verum haec sunt nota et a plurimis recte intellecta, ut

a Barnesio Vit. Eurip. p. 25. ed. Beck. Barthelemio Anachars. T. VII. p. 251. Bip. etc. Nunc modo demonstrare possim, Eumenidas semel in scena non stetisse, iam concedendum erit, bis editam esse. Auctor vitae Aeschyli: *Τινὲς δέ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψύξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι*: eareque dicit in Siciliam profectum. Simile narrat Pollux IV, 15. *Τὸ δὲ παλαιὸν ὁ τραγικὸς χορὸς πεντήκοντα ἦσαν ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου· πρὸς δὲ τὸν ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπτοηθέντων συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν χορόν.* Tum quum fierent haec, non potest fabula stetisse: ergo, sint modo vera illa, necesse est iterum producta sit. Et plures sunt iique egregii viri, qui nugas hic a grammaticis narrari non modo sibi sed aliis persuaserint: tamen magis opinionibus suis, quam argumentis testimonia infirmant; nullá est obiectio, vicisse Aeschylum quum doceret Eumenidas: nam altera vice stetisse, altera potest cecidisse: graviora opposuit *Böttigerus* libro vernacula scripto, *de furiarum persona* p. 3. sed ne is quidem talia, quae fidem veterum infringant. Nam et falso commentus est mulieres Athenis tragoedias non spectasse, quod qui credere nolet, adeat is Platonem nostrum

Gorg. p. 502. D. ubi tragoediam vocat *ῥητορικήν τινα πρὸς δῆμον τοιοῦτον οἷον παίδων τε ὁμοῦ καὶ γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν καὶ δούλων καὶ ἐλευθέρων*, ac praeterea Legg. II, p. 658. D. VII, p. 817. C. quibus locis omnis ista ratio explodiſur: et comparationibus utitur talibus, quibus, ut diversissima conferre solet ingeniosissime, non omnes non diffisuri fuerint; neutiquam fidem ea narratio superat, dum reputes, non metu solo spectatarum e longinquo furiarum, sed facto inde tumultu atque hominum compressione accidisse tam funesta, quemadmodum et his temporibus theatrorum incendio exorto fieri videmus. Inde est illud ap. Suid. v. *Αἰσχύλος: Φυγὼν δὲ ἐπὶ Σικελίαν διὰ τὸ πεσεῖν τὰ ἴκρια ἐπιδεικνυμένου αὐτοῦ*: quae verba non significant, quod putabat Jos. Scaliger et Stanleius ad Aeschyl. T. II, p. 711. *victoria eum excidisse*, quamquam et hoc factum contra Barnes. vit. Eurip. p. 25. contendo, sed *cecidisse tabulata caveae.* Suidas de Pratina: *Ἐπιδεικνυμένου δὲ τούτου συνέβη τὰ ἴκρια, ἐφ' ὧν ἐστήκεσαν οἱ θεαταὶ, πεσεῖν, καὶ ἐκ τούτου θέατρον ᾠκοδομήθη Ἀθηναίοις* (l. *Ἀθήνῃσιν*). Ad hoc cf. Schol. Aristoph. Thesm. 402. Hesych. et Suid. v. *ἴκρια.* Factum pono circiter Ol. LXX. cum Böttigero Prolus. de quat. aetat. rei scen. quod ex Suida fit verisimile: sed etiam posthac tabulata in theatro fuerunt auctore

Aristoph. l. c. Quibus accedit hoc. Aeschylum novimus reum factum impietatis ex Aelian. V. H. V, 19. id quod Musgravius in utilissima collectione sed parum accurata, Chronol. scenic. p. 6. T. III. ed. Eurip. Lips. refert ad idem tempus, quo propter Eumenidas in odium populi incurrit: quin ob hanc ipsam fabulam putat susceptam esse eam accusationem. Sane qui Atheniensium pronos ad lites movendas animos cognorit, Eumenidas hoc nomine accusari a quopiam potuisse non negabit; et fortasse ab hac impietatis actione non differunt ea, quae proferuntur ab Aristot. Eth. Nicom. III, 2. Eustratio ad h. l. et Clem. Alex. Stromm. II, p. 387. coll. Meurs. Eleusin. c. XX.: multis saepe capitibus causae constiterunt, ut similis Socratis secundum Xenoph. Mem. I, 1, 2. et Platonis Apologiam: alii ob aliud intentam Aeschylo litem dicunt; ii falluntur, qui conciliari ea non posse arbitrantur: et quis nescit, quam acerbe theatri violatam libertatem ulcisci soliti sint, vel ex nobili illa Phrynicho imposita multa? His igitur perpensis, quum conveniant omnia, quo fides habeatur grammaticis, semel Eumenidas non stetisse persuasum habeo. Itaque edita bis est: et vicit quidem Ol. LXXX, 2.: quaerendum iam, quando exacta sit. Quum caderet, primum docta est: tum enim Aeschylus Athenis habitabat; at post Ol. LXXX, 2.

dudum fuit in Sicilia: huc enim, si ulla scriptoribus est fides, ante Ol. LXXVIII, 2. concessit, quod demonstrabo capite sequenti. Jam nonnulli teste Auctore vitae Aeschylum post Eumenidas infelici successu actam venisse in Siciliam narrabant: Ἐλθὼν τοίνυν (post Eumenidum casum) Σικελίαν Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος, et quae addit. Verum idem paullo ante: Ἀπῆρε δὲ, inquit, εἰς Ἱέρωνα τὸν Σικελίας τύραννον, κατὰ τινὰς μὲν ὡς ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ, κ. τ. λ. Accedit Plutarchus Cimon. p. 483. F. Νικήσαντος τοῦ Σοφοκλέους λέγεται τὸν Αἰσχύλον περιπαθῆ γενόμενον καὶ βαρέως ἐνεγκόντα χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνῃσι διάγειν, εἶτ' οἴχεσθαι δι' ὀργὴν εἰς Σικελίαν. Sophoclis victoria significatur, quae contigit Ol. LXXVII, 4. de quo infra. Conciliatur utraque discrepans opinio, ubi ipsa Eumenidum commissione victum Aeschylum statuas: quem, ut acrioris ingenii virum, non dissimile veri est hoc aegre tulisse, in summa praesertim, quae tum fuit secundum Plutarchum, populi contentione. Dicas hac via diversissima posse conciliari: ut, quod post adversum cum Simonide certamen dicatur Aeschylus Athenas reliquisse, potuisse me pari iure cum Eumenidum editione componere, si ex re mea fuisset, eam ut Ol. LXXIII, 1. assignarem,

et ni sic apertus foret error. Ego vero tantum abest, ut in meum, quae dixi, commodum vertere velim, ut etiam aliter esse posse largiar, licet maximam probabilitatem ea sententia habeat. Quae si vera est, Eumenides acta primum Ol. LXXVII, 4.: sin minus, certe ante poetae peregrinationem. Simul evincitur his rationibus, haud demum Ol. LXXX, 2. lege cautum fuisse, ne chorus esset ultra quinquaginta homines, quod suo tum iure putabat Petitus Legg. Att. p. 66. sed factum id aliquot ante annis. Jam autem semel quum displicuerit fabula, iterata editio retractata fuerit necesse est: certe chorus diminutus est: nec dubium quin et alia poeta novaverit; atque etsi tum in Sicilia fuit, (nisi redierit, de quo nihil proditum,) tamen et emendare ipse et emendatam transmittere Athenas potuit, ubi ederetur ab amico, aut, quod cap. III. conieci, a cognato, ut passim factum esse Aristophanis Daetalenses ostendunt: dudum Athenienses, apud quos post obitum summo in honore esset, poterant rediisse in gratiam; neque enim erant eorum diuturnae irae: hodie trucidant Socratem, venerantur perendie. Nunc indagemus, utra supersit editio. In Agamemnone Aeschyli chorus fuit personarum XV, teste Schol. Aristoph. Eqq. 586. *Συνεστήκει δὲ ὁ μὲν κωμικὸς (χορὸς) ἐξ ἀνδρῶν ἤδη καὶ*

γυναικῶν, ὁμοῦ δὲ καὶ ἐκ παίδων κδ', ὡς καὶ οὗτος ἀπηρίθμησεν ἐν Ὄρνισιν, ἄῤῥενας μὲν ὄρνις ιβ', θηλείας δὲ τοσαύτας· ὁ δὲ τραγικός ιε', ὡς Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι. Ad haec Petitus l. c. *Neque idem tamen numerus usurpatus postea ab eodem Aeschylo in constituendo choro*: (quippe in Eumenidibus maiorem fuisse:) *Agamemnonem autem*, inquit, *in scenam produxit Aeschylus ante Eumenidas, quamquam eodem anno.* Quid istuc est? Nempe scriptor putabat non uno eodemque die tetralogiam Orestiam peractam esse, sed diebus pluribus, immo diversis anni temporibus, quod licet etiam Lessingius, vir immortalis, videatur credere, Vit. Sophocl. p. 383. Opp. T. XIV. ex intellecto male Diog. L. III, 35. (cf. Casaub. de satyr. poes. I, 5. p. 160.) haud minimae est inscitiae, nec absimile eorum hallucinationi, qui Terentiani Heautontimorumenu priores binos actus vespere datos dicunt, reliquos proximo mane. Potius ita res habet. Uno die exhibita est Orestia tota: itaque, si ante Eumenidum casum numquam minor quam L personarum chorus prodierit, tum quum caderet Eumenides, non potest acta una cum ea fabula Agamemnone esse, quae chorum minorem habuerit. Atqui superstes Agamemno ea ipsa est, quae choro instructa fuit minus frequente XV personarum, id quod didici ex

amico egregie Hermannum invenisse e vss. 1336 — 1363. Relinquitur igitur alterutrum: aut ante datam Eumenidas tragoediae coeptae sunt minore chori frequentia doceri, ipsa ut Agamemno haec, tali choro XV hominum produci potuerit eodem die una cum Eumenidibus frequentiorem chorum habente, pro poetae arbitrio; aut quae aetatem tulit Agamemno, demum cum repetita Eumenidum recensione commissa erit Ol. LXXX, 2. Alterum hoc quum fuerit, probabiliter eandem, quae cum superstite Agamemnone data sit, Eumenidum editionem, hoc est, alteram, superstitem dixeris atque adeo, quod volumus, iam fuerit effectum. Verum est quod me commoveat, ut ante Eumenidas doctam minore choro distinctas fabulas prodiisse putem; sic concidit tota ratio. Nam primus Aeschylus, inquit Aristoteles Poetic. c. 4. *τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσεν*: ita vix dixisset, si lege coactus primum Aeschylus hoc fecisset: quapropter iam ante latam eam censeo poetam minuisse choreutarum numerum, nisi ubi multitudine vim et effectum dramati addere vellet, veluti in Eumenidibus, quo et Grammatici verba ducunt, *ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορόν*; donec, quod Pollux significare vult, populi decreto maior ille numerus tandem interdictus tragicis est. Hac igitur via,

priorne an posterior Eumenidum recensio supersit, quum discerni nequeat, age alia ingrediamur. In Erinnyum habitu utraque editio haud dubie plurimum discriminis habuit. Doctissimus et elegantissimus Böttigerus de fur. person. p. 48. sqq. in nostra Eumenidibus faces choro nullas fuisse demonstrat; has in priore commissione, quum truci adspectu tantopere consternati spectatores essent, non habuisse furias censes? Solebant tragicae Erinnyes ardentibus taedis armari; ut Aristoph. Plut. 424.

A. Ἴσως Ἐριννύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας·
Βλέπει γέ τοι μανικόν τι καὶ τραγῳδικόν.
B. Ἀλλ' οὐκ ἔχει γὰρ δᾷδας. A. Οὐκοῦν κλαύσεται.

Ubi praeter alia Schol. Ἐπισκώπτει τὴν διὰ τῶν Ἐριννύων Αἰσχύλου ὑπόθεσιν. παρεισάγονται μετὰ λαμπάδων δεινοπαθοῦσαι. Verisimillimum igitur videtur hoc: quum primum fabula committeretur, ne his quidem terroris instrumentis caruerunt Eumenides: iterata editione facibus usus non est, partim in populi gratiam, partim rationibus artis: sed recentiores Aeschyleorum dramatum editores aliique tragici repetierunt taedas. Similiter Nubes Aristophanis comoedia in priore recensione faces habuit: in altera quod absint ipse

laudat. V. Herm. Praef. p. XXVII sqq. Haec hactenus. Praeterea, quod amicus monuit, foedus factum cum Argivis memoratur vs. 281 sqq. ubi v. Schol. et cf. Thucyd. I, 102. idque incidit in Ol. LXXIX, ¾. V. Dodwell. Annal. Thucyd. p. 635. T. II. ed. Thucyd. Beck. Et notante Musgravio (Chronol. scenic. p. 6. Eurip. Beck.) vss. 675—696. dedita opera laudes Areopagi celebrantur: quod tamen vir ille colligit inde, secundum ea quae hactenus dicta sunt, probari neutiquam potest: at profecto respicitur minuta per Ephialten huius iudicii dignitas atque auctoritas (Diodor. XI, 77. et ibi Wesseling.), ut ingeniose ostendit Böttigerus l. c. p. 100 sqq. Hoc actum est Ol. LXXX, 1. Postremo in nostra fabula tres actores sunt: tertium autem Sophocles demum invenit teste Aristotele Poetic. c. 4. Thrasyllo ap. Diog. L. III, 55. Suida v. Σοφοκλῆς, et Script. vit. Sophocl. igitur et Eumenides et Choephori, quae supersunt, dudum post Ol. LXXVII, 4. scriptae, quo anno Sophocles docere coepit, id quod et Dacierius vidit ineptissime refutatus a Bothio, negligentissimo homine, ad Sophocl. T. II, p. 7. cuius imperitiam satius erit posthac silentio transmittere. Notes autem nostram Eumenidas non posse absque Choephoris editam fuisse, quod huic fabulae arctissime iunctum est Eumenidum principium, nec

apte intelligi poterat nisi ea praegressa. Quae qui in unum collegerit, non ambiget, quin ipsa, quae Ol. LXXX, 2. vicit, Eumenidum recensio ad nostram aetatem pervenerit.

CAPUT V.

De temporibus Aeschyli, imprimis de Sicula profectione. Eiusdem Σικελισμός. De chronologia dramatum suorum. Alia nonnulla de Aeschyli fabularum historia.

Eorum, quae capite praecedenti exposui, quum aliquid nitatur haud prorsus vulgari sententia de anno suscepti in Siciliam Aeschyli itineris, haud abs re fore duxi, si ad mea tuenda adiicerem accuratiorem, quae mihi quidem videretur, explicationem. Eius rei gratia vitae termini primum constituendi sunt. Natales poetae quem in annum incidant, magna inter doctos est lis. Si Musgravium audimus Chronologiae scenicae p. 5. tempore Salaminiae pugnae Ol. LXXV, 1. annos habuit circiter XL, ut natus esset Ol. LXV, 1. primum quod secundum vitae Scriptorem Pindaro *συνεχρόνισε*, Pindarum autem hoc

ipso anno natum statuunt: secundum quod idem Grammaticus tradat, eum LXII annos habuisse, quum migraret in Siciliam: hoc autem factum esse post actam Eumenidas, id est, post Ol. LXXX, 2. Poterat etiam hoc addere. E vita exiit Aeschylus secundum Grammaticum annos natus LXV: hoc accidit Ol. LXXXI, 1. aliis testibus: ergo Ol. LXXX, 2. annos habuit LXII. Haec tamen omnia parum me movent. Etsi enim aliquot annis ante Pindarum natus Noster fuerat, nonne vel sic eius aequalis dici potuit? Sed Thomas Magister in vita Pindari dicit de hoc: *Γέγονε δὲ κατὰ τοὺς χρόνους Αἰσχύλου, καὶ συγγεγένηται αὐτῷ, καὶ τέθνηκεν ὅτε τὰ Περσικὰ ἤκμαζεν.* Etiam hoc parùm curo: nempe qui ita turpiter lapsus fuerit, ut Pindarum Persici belli temporibus florentem dicat tam mature defunctum esse, (quod saltem non accidit ante Ol. LXXX.) is ne in natalibus quidem eius fidem meretur. Quid vero quod de natalibus ipsis non constat? Nam si Corsinum audimus Fast. Att. T. III, p. 122. non contemnendo argumento usum ex Plutarch. Symposs. Quaestt. VIII, 1., natus fuit Pindarus Ol. LXV, ¾, iam ut Suidae atque Eudociae parum tribuendum esset tradentibus Lyricum tempore Salaminiae pugnae quadraginta fuisse annos natum. Qua de re qui plura desideret, adeat Fabricii B. Gr. T. II,

p. 57. ed. Harles. Hoc unum notes, ipsum Suidam, quum anno vitae LV. obiisse Pindarum dicit, tradidisse id ex sententia eorum, qui natum Ol. LXV, 3. putarent, defunctum autem Archonte Bione Ol. LXXX, 3. ut est ap. Thom. M. licet perperam. Alterum vero argumentum cap. IV. eo infirmavimus, quod Aeschylus tum, quum propter Eumenidas solum verteret, non vicerit: atqui vicit Ol. LXXX, 2. itaque alio tempore Athenas reliquit. Postremo nimium probat Auctoris vitae testimonium, propterea quod is Aeschylum putabat ne attigisse quidem annum Ol. LXXX, 2. sed ante defunctum esse: in Siciliam enim profectum anno LXII, adhuc superstite Hierone, (qui obiit Ol. LXXVIII, 2.) et obiisse anno LXV: itaque haud certe post Ol. LXXIX, 1. fato functum statuebat; a quo non multum dissentit Lessingius vit. Sophocl. p. 285. ideo contendens Orestiam editam fuisse post fata Aeschyli Archonte Philocle, sed id perperam. Tantum igitur abest, ut Musgravius ex vitae Scriptore, quod collegit, colligere potuerit, ut etiam non post Ol. LXII, 4. natum debuerit inde statuere. Sed tertio quoddammodo argumento hoc Musgravius utitur paullo post. De Sophocle Scriptor vitae eius: *Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη εἰκασιτέσσαρα, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος δεκαεπτά.* Idem habet Schol. Aristoph. Ran.

75. emendatus a Lessingio l. c. p. 386. Verum hoc est plane falsum: Sophocles enim natus Ol. LXXI, 2. Euripides Ol. LXXV, 1. ex calculis maxime probabilibus. Quapropter Musgravius et Lessingius emendant: *Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη εἰκοσιτέσσαρα, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος δεκαεπτά*: nec multum ille a veritate abire hanc supputationem dicit. Nempe si Aeschylus luce frui coepit Ol. LXV, 1. hinc ad Sophoclis natales Ol. LXXI, 2. sunt anni XXV; inde ad Euripidis, Ol. LXXV, 1. sunt anni XV: duplex igitur, si accurate computaveris, discrepantia est, unius ibi, hic duorum annorum. Pergit Musgravius: *Quod si cum Fabricio et Marmore Arundel. Aeschylum Ol. LXIII. anno ultimo natum statuas, error multo gravior erit nec ulla facile medela sanabilis.* Hoc minus caute pronunciavit. Aeque bene scribas: *Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη εἰκοσιεπτὰ, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος δεκατέσσαρα.* Posterius minimum tantum a vero distat: prius Musgravii quidem rationibus contrarium est, a Marmoris autem Parii traditione tantum duos tres annos differt. Nihil tamen inde colligo, nisi Musgravii ratiocinationem habere speciem haud maiorem quam nostram. Iam quid obstat, quominus multo accuratiori Parii Marmoris testimonio fidem habeamus, quod Aeschyli obitum ponit Ol. LXXX, 1. consen-

tiente Schol. Aristoph. Acharn. 10. Ἐτελεύτησε γὰρ ἐπὶ Ἄρχοντος Καλλίου τοῦ μετὰ Μνησίθεον, qui aliis est Mnesithides; tum fuit annorum LXIX secundum Marmor: itaque natus dicitur Ol. LXIII, 4. cui ne Suidae quidem illud contradicit ab Is. Casaubono de satyr. poes. I, 5. p. 173. restitutum, docentis Aeschylum Ol. LXIX. annos natum fere XXV primam fabulam dedisse. Nam Aeschyli vitae Scriptorem tam parum accuratum, qui anno aetatis LXV. obiisse, anno vero LXII. in Siciliam ad Hieronem venisse tradit, his perlectis nemo postulabit ut aut distinctius refutemus, aut eius in subducendo calculo rationem habeamus praecipuam.

Haec praemittenda duxi partim ob rei ipsius et gravitatem et difficultatem, partim ut hac via quaedam dubitationes removeantur a sententia, quam prolaturi sumus: quae quales sint, viderint lectores. Jam quando poeta in Siciliam profectus sit, praeter ea, quae superiori capite diximus, exponamus accuratius. Scriptor vitae: Ἀπῆρε δὲ εἰς Ἱέρωνα τὸν Σικελίας τύραννον κατὰ τινὰς μὲν ὡς ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ· κατὰ δὲ ἐνίους ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἡσσηθεὶς Σιμωνίδῃ. Et deinde: Ἐλθὼν τοίνυν Σικελίαν Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτί-

ζοντος ἐπεδείξατο τὰς Αἴτνας, οἰωνιζόμενος βίον ἀγαθὸν τοῖς συνοικοῦσι τὴν πόλιν. καὶ σφόδρα τῷ τυράννῳ καὶ τοῖς Γελῴοις τιμηθείς, ἐπιζήσας τρίτον ἔτος, ὢν ἐτῶν πέντε πρὸς τοῖς ἑξήκοντα, τοῦτον ἐτελεύτα τὸν τρόπον. Concinit etiam Pausanias I, 2. καὶ ἐς Συρακούσας πρὸς Ἱέρωνα Αἰσχύλος καὶ Σιμωνίδης ἐστάλησαν. Hiero fato functus Ol. LXXVIII, 2. Lysistrato Archonte. V. Diod. XI, 56. et lepidus est Casaubonus l. c. p. 175. quum post Orestiam datam Ol. LXXX, 2. ad Hieronem venisse Aeschylum scribit. Ad quem, ut poetarum amantissimum, venisse Nostrum est satis probabile: si qua simultas ei cum Simonide fuerat, non ea obstare poterat post huius obitum Ol. LXXVII, 4. (sec. Petr. Ger. Duckerum de Simonide Ceo c. II.) aut Ol. LXXVIII, 1. (sec. Larcher. Chronol. Herodot. p. 568.) Deinde, quod de fabula Aetnis narratur, ita definite pronunciatum est, ut confictum esse nequeat. At condita Aetna fertur Ol. LXXVI, 1. V. Diod. XI, 49. itaque Ol. LXXVI, ½. venisse eum ad Hieronem censeas. Verum Ol. LXXVII, 4. quum vinceretur a Sophocle, adhuc Athenis fuit certissime: ergo post hoc demum tempus, opinor, deductis nuper colonis gratulatus est novas sedes: nisi quis in Siciliam bis venisse statuat, semel Ol. LXXVI, ½, iterum post Ol. LXXVII, 4. Et licet id veri simile non videatur in ve-

terum silentio, tamen vel hoc concesso stabit sententia de Eumenidum duplice editione, cuius causa computus hic susceptus est. Sed est, quare vellem ad liquidum ea res perduci posset. Etenim Aeschylus, etsi non est Siculus (Fabric. B. Gr. Vol. II, p. 134. ed. Harl.), *Siculis* vocibus utitur multis: ex Meleagro et Phorcidibus exempla Athenaeus profert IX, p. 402. C. et fortasse, qui de industria quaesiverit, etiam in dramatis, quae supersunt, aliquot Sicula idiomata deprehendat: quinam tamen hoc factum sit, nemo, quod sciam, accurate indagavit, et nescio an omnino decerni quidquam nequeat. Num ab Epicharmo duxit hoc, num ab illis multis scilicet Siculis fabularum poetis, quos ante Atticam tragoediam floruisse in Sicilia plures credunt? Sed id hariolis quibusdam relinquamus; nobis placet Athenaei sive coniectura sive testimonium: Ὅτι δὲ Αἰσχύλος, inquit, διατρίψας ἐν Σικελίᾳ, πολλαῖς κέχρηται φωναῖς Σικελικαῖς, οὐδὲν θαυμαστόν. Hoc iudicium si verum est, de quo quidem non dubito, haud parum intererit ad Aeschyleorum dramatum historiam, sitne bis an semel in Siciliam profectus: tragoediam fac habeamus, quae quando acta sit, ignoretur: reperiantur tamen in ea voces Siculae: iam scriptam post Siculum iter affirmes. Simul, ubi posthac Athenas non redierit, aut

non erit acta Athenis, sed tantum in Sicilia, aut inde missa Athenas, ibi ut absente poeta produceretur ab alio, mutatis fortasse Siculis nonnullis idiomatis, aliis relictis correctoris incuria, aut quod putaret intellectu facilia. Actam in Sicilia unam novimus *Aetnas*, de qua Macrobius Saturnal. V, 19. *Ita et dii Palici in Sicilia coluntur, quos primum omnium Aeschylus tragicus, vir utique Siculus* (a commoratione dictus, ut recte Stanleius ad Aeschyl. T. II, p. 703.) *in literas dedit.* Et mox: *Aeschyli tragoedia est quae inscribitur Aetna; in hac quum de Palicis loqueretur, sic ait* (cf. Holsten. ad Steph. Byz. v. Παλική):

> Τί δῆθεν αὐτοῖς οὔνομα τίθενται βροτοί;
> Σεμνοὺς Παλίκους Ζεὺς ἐφίεται καλεῖν.
> Ἦ καὶ Παλίκων εὐλόγως μένει φάτις;
> Πάλιν γὰρ ἥκουσ' ἐκ σκότους τόδ' ἐς φάος.

Iam si semel tantum Aeschylus venit in Siciliam neque inde rediit umquam, Meleager quoque Phorcidesque in Sicilia scriptae sunt, et ceterarum quidquid peregrinum hunc sermonem sapiat. Sed nunc, incerta itineris ratione, ne hoc quidem certo ponere licet: sic in singulis caute versati speramus fore, ut, quod volumus, ab omni cupiditate amoti, nisi malevolis, habeamur omnibus. Unum hoc omnes concedent, qui veterum loca probe

perspexerint, ex profectione suscepta post Ol. LXXVII, 4. quum victus esset a Sophocle, non rediisse Aeschylum. At praeter Eumenidas etiam *Supplices* fabula post hoc tempus scripta est: nam et eadem ibi, quae in Eumenidibus, Argivorum laus est, unde amicus saepius iam laudatus post Ol. LXXIX, ¾. editam colligit, et firmius etiam argumentum afferri potest. Supplicum enim chorus fuit tantum quindecim personarum, ut cap. VI. demonstrabitur: sua sponte in hac quidem fabula minuere chorum non potuit, quod multo aptior erat chorus plenus quinquaginta Danaidum: lege coactus fecerit necesse est: adeoque post Eumenidas scripta nostra Supplices est, hoc est, in Sicilia, sed data haud dubie Athenis, choro diminuto. Quid si in Supplicibus praecipue Siculus sermo inveniatur, in aliis aut nulla aut levissima vestigia? Sed hoc et altioris indaginis est nec meae provinciae. Quid autem? Nonne in ea tot Dorismi sunt, quot, ni fallor, vix reperias in alia quacunque Aeschyli tragoedia, tot praeterea obscura, insolentia, peregrina, ut difficillima semper habita sit? Et Siculas quidem voces nescio an peritiores inventuri sint plures praeter unam, quam novi, *βουνὸς* sive *βοῦνις* de qua v. Stanlei. ad vs. 126. et Valck. ad Herodot. IV, p. 551. Dorice vero tot dicta sunt, ut

idem Valckenarius ad Theocr. Adoniaz. p. 383. ad id confugiat, Danaidas fuisse Peloponnesias. Unde quaeso? Num quod ab Ione Inachi descendunt? Potius enim sunt Aegyptiae: nec tragici est, patriam personarum linguam in scena exprimere, sed comici: nusquam hoc factum video in tragoedia: bene video in fabulis Aristophanis. Quam apte vero Supplices, argumentum Peloponnesiacum, in quaque adeo Peloponnesiacis vocibus usus est, (v. Valck. l. c.), non modo in Sicilia, sed Aetnae praesertim doceri potuerit, ostendent verba Diodori de condenda urbe ea, XI, 49. Ἱέρων δὲ τούς τε Ναξίους καὶ τοὺς Καταναίους ἐκ τῶν πόλεων ἀναστήσας, ἰδίους οἰκήτορας ἀπέστειλεν, ἐκ μὲν Πελοποννήσου πεντακισχιλίους ἀθροίσας, ἐκ δὲ Συρακουσῶν ἄλλους τοσούτους προσθείς. Praeterea num et alias superstitum fabularum ex Sicilia Athenas miserit, ex earum temporibus diiudicandum est: Euphorio filius in scena ibi committere poterat, ut cap. III. conieci ex verbis illis: ὃς καὶ τοῖς τοῦ πατρὸς Αἰσχύλου, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις ἐνίκησεν: quod fortasse vivo ac vidente patre factum est, tumque illud *nondum* de Athenis solis intelligendum erit. Parum tamen proficias in harum rerum perscrutatione. *Persae* edita Athenis iam Ol. LXXVI, 4. Sic Argum. Ἐπὶ

Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, Προμηθεῖ, nempe Iguifero; post quam demum *Prometheum vinctum* scriptam esse, argumentum persuadet: illa enim continuatur hac, et vs. 7. adeo respici videtur: tamen huius tempus nequit accuratius definiri. *Septem adversus Thebas* item post Persas producta. Schol. Aristoph. Ran. 1021. Οἱ δὲ Πέρσαι πρότερον εἰσὶ δεδιδαγμένοι, εἶτα οἱ Ἑπτα ἐπὶ Θήβας. Si fides est Plutarcho in Apophthegmm. Regg. Aristides interfuit, quum doceretur, qui quidem quatuor annis post eiectum Themistoclem, hoc est, Ol. LXXVIII, 2. obiit. Nep. Aristid. c. III. Non multum tamen tribuo huic famae, qui sciam, simillimum quiddam de Palamede Euripidis narrari post Socratis supplicium edita, sed valde illud dubium. Postremo de Orestia non est, quod dicamus, quum praeter ea, quae supra exposui, nihil liceat afferre.

Caput VI.

Chori tragici numerus quantus fuerit, inprimis in Aeschyli Agamemnone, Supplicibus, Prometheo, Septem adversus Thebas. Alia de chori oeconomia.

Ut quintum caput in quarti subsidium adiectum fuit, ita iam ad utriusque consummationem hoc sextum scripsi. Nam quum dixissem, primum Aeschylum quinquaginta chori personas redegisse ad quindecim, (quot et esse in Agamemnone,) posthac autem occasione Eumenidum lege lata, ne maior produceretur, etiam Supplicibus tantum XV choreutas adhibuisse: restat iam, ut et nonnulla addam, aliaque explicem uberius et de industria. Ut taceam, quae hac de re obscurissimis verbis Böttigerus dixit de Fur. person. p. 2., teste Suida et anonymo Scriptore vitae Sophoclis ab hoc demum ipso chorus ad XV auctus est, quum esset antea XII; (nisi verum forte Bothius vidit in Sophocl. T. II, p. 7. numeros transponens, ita ut minutus a Sophocle sit a XV ad XII): rursus Dionysius Thrax in Vil-

loison. Anecdd. T. II, p. 178. commemorat XIV: quae qui conveniunt supra dictis? Aeschylus certe, licet is primus chorum diminuerit, tamen non fecit personarum XII, sed XV, ut demonstratur et aliunde et egregio acumine Hermanni ex *Agamemnonis*, quos supra indicavi, versibus. Quos tamen qua ille ratione disponat, nescio: neque enim id amicus prodidit: itaque quid ego censeam, si nunc expromam, quum postulet ipsa res, non opinor succensebit vir eximius. Ita mihi rem fingo. Versus 1336.

Σῖγα· τίς πληγὴν ἀϋτεῖ καιρίως οὐτασμένος;

vulgo priori hemichoro tribuitur, alteri vero haec adscribuntur:

Τοὔργον εἰργάσθαι δοκεῖ μοι βασιλέως οἰμώγματι.
Ἀλλὰ κοινωσοίμεθ' ἄν πως ἀσφαλῆ βουλεύματα,

in quo haud satis apte, quamquam non omnino contra usum, duobus trochaicis unus respondet ab altera chori parte recitatus. Sed et sensui consulitur et carminis concinnitati, si primum trochaicum universi chori praesuli tribuas, deinde binorum, qui sequuntur, singulos singulis hemichororum ducibus. Utriusque hemichori praeses est, credo, qui dicitur *μεσόχορος*: *κορυφαῖον* appellatum

puto, qui in singuli hemichori cornu (κορυφῇ) positus dux esset, alter δεξιοστάτης, alter ἀριστεροστάτης sive λαιοστάτης. Iam singuli gregarii chorcutae binos senarios pronunciant; idque ita, ut persona prima primi hemichori ordiatur, secundi prima respondeat, et sic deinceps: qua ratione et sensui satisfit et librorum vestigiis insistitur hemichororum notas exhibentium; fiuntque ita duodecim gregariae personae cum tribus ducibus. Singulos hic loqui minus offendet eum, qui norit aliis locis quamplurimis in diverbio, ubi chorus aut hemichori sive inter se sive cum actore sermocinantur, non omnes collocutos esse una voce, sed solos duces; unde et singulari utuntur numero. Phoen. 287. 1318. Hippol. 273. 287. 568. 713. 724. 788. 801. 804. et ubivis. Quamquam etiam in melicis chorus de se singulari numero loquitur, ut Hippol. 1102. Alcest. 965 sqq. Phoen. 210. 246 sqq. Androm. 767. Suppl. 43 sqq. 271 sqq. etc. non quod poeta per chorum verba faciat, ut perperam censet Schol. Hippol. l. c. sed aut quod unaquaeque cantans persona se solam dicit, aut quod universus chorus unas partes agit ac pro uno est histrione. Verum ut redeamus ad rem, ita posita constitutione chori iam discrepantes illas de numero eius narrationes conciliare possis. Nam qui choragos tres in

Aeschylo non numeraret, in Sophocle numeraret, errore facili, fortasse ductus fama quapiam obscura antiquitus tradita, is Aeschylum XII, Sophoclem XV personarum chorum habuisse poterat dicere: rursus qui hemichororum quidem duces computaret, at universi coetus praesulem omitteret, is XIV choreutas numerare poterat. Ego tamen quum omnia considero, chorum modo XII, modo XIV, modo XV cantores habuisse credo: nec in eo ita definite tempora distinxerim, sed poetam pro suo iudicio sive mavis arbitrio numerum instituisse puto, modo ne in legem, quam populus iusserat, peccaret: id quod sequenti capite apparebit. Iam absolutis his demonstrandum est, quod supra praedicavi, in *Supplicibus* quoque XV fuisse chori personas. Sed hic mihi non amplius reticeri potest nomen eius, a quo me in praegressis adiutum fuisse passim confessus sum, amici, Conr. Schneideri, cuius eruditionis specimen exstat elegantissima et gravissima translatio scenae cuiusdam ex Aeschyli Agamemnone, in Biesteri menstruo libello Berolinensi mensis Augusti 1807: nam hic quoque a fundamentis ab illo iactis, quum me non dissimularet, altius escendi. Is igitur rationibus, quas nihil nunc attinet referre, Supplicum vss. 1019 sqq. usque ad finem, haud recte dispositos esse con-

iicit, et expulsis hemichoris inter duos coetus, alterum Danaidum, alterum famularum distribuit, in strophas deinde et antistrophas redacta ita cantica dividit, ut Danaidum sint vss. 1019 — 1026. famularum 1027 — 1034. Danaidum 1035 — 1039. famularum 1040 — 1045. Danaidum 1046 — 1050. famularum 1051 — 1057. Danaidum 1058, 1059. famularum 1060, 1061. Danaidum 1062. famularum 1063, 1064. Danaidum 1065. famularum 1066. Danaidum postremo 1067. De coetu famularum ne dubites: absque comitatu numquam sive rex sive regina in scenam prodierunt: memorantur autem diserte vss. 953. 1023. atque ut ordine instruantur, Argivorum rex iubere videtur vss. 976 sqq.

Ξύν τ' εὐκλείᾳ καὶ ἀμηνίτῳ
Βάξει λαῶν ἐν χώρῳ
Τάσσεσθε φίλαι καὶ δμωΐδες τὼς
Ὡς ἐφ' ἑκάστῃ διεκλήρωσεν
Δαναὸς θεραποντίδα φερνήν.

Ita enim lego *τὼς* p. *οὕτως*. Quibus verbis una rex in clientelam Aegyptias recipit, et famulas hortatur, ut suam quaeque heram secutae ordine in scena collocentur. Nec insolentem duplicem in tragoedia coetum amicus putat: ita enim etiam in Eumenidibus praeter Furias induci sub finem *Προπομπούς*.

Bene sane; similiter fuerit necesse est in Sophoclis Αἰχμαλώτισι, si satyrica vere habetur: nam tum praeter Captivarum coetum chorus Satyrorum aderat; et adde Venatores Hippolyti ministros in Euripidis Hippolyto vss. 58 sqq. ac Pastores in eiusdem Alexandra, de quibus v. Schol. et Valck. ad l. c. Neque tamen inducti illi praeter chorum coetus appellatione chori digni sunt, quocum citra cantum nihil iis commune est. Immo in Supplicibus famulae ne pro diverso quidem a Danaidibus coetu habendae, sed unum efficiunt chorum ex diversae conditionis mulieribus conflatum, ut in comoedia chori mixti ex senibus et adolescentibus, e viris ac foeminis, e foeminis ac pueris: is, ubi res fert, in duos hemichoros, alterum herarum, alterum servarum dispescitur more vulgari. Iam quum quinquaginta Danaides sint, ipso agnoscente Aeschylo Prometh. 853. Πέμπτη δ' ἀπ' αὐτοῦ γέννα πεντηκοντοπαῖς Πάλιν πρὸς Ἄργος οὐχ ἑκοῦσ' ἐλεύσεται κ. τ. λ. quumque id adeo dignum memoratu fuerit, tantamque multis locis vim potuerit habere, recte amicus miratus est, nusquam magnifici numeri mentionem fieri, indeque coniecit, dedita id opera poetam cavisse, quod tam frequens in scena chorus non esset. Certe sic est: ni sedulo vitasset, plus semel quinquaginta puellarum meminisset.

En tibi unum locum vs. 320. ubi regi patris earum nomen quaerenti,

Τὸ πάνσοφον νῦν ὄνομα τοῦτό μοι φράσον,

respondent Danaides:

Δαναός· ἀδελφὸς δ' ἐστὶ πεντηκοστοπαῖς.

Ubi quanto poetae steterit, ut puellarum numerum eundem esse reticeret, tragici sermonis peritissimus quisque videbit: immo primo adspectu aliquid singulare subesse mecum suspicabitur. Quapropter non dubito, quin minor chorus fuerit, isque ut in Agamemnone, personarum XV. Haec quum considerarem, nata est suspicio, in ipsis Danaidum canticis posse vestigia latere personarum numeri, et coepi curatius perpendere systemata illa Ionicorum a maiore, de quibus inter Danaidas et ipsarum famulas dividendis modo retuli ex amici sententia. Et facile quidem quisque intelligit, etiam hic in amici distributione, ut in Agamemnone, necesse non esse, ut toti hemichori totis respondeant uno concentu: poterant et hic a singulis singula cantica pronunciari, quo puellarum anxii animi summumque studium indicarentur: ibi enim haec ars locum habere praesertim videtur, ubi aut consultatio est gravior, ut in Agamemnonis versibus, aut luctus planctusque acerbior, vel ingens sive admiratio

sive laetitia, quae agentium chorum personarum mentes occupent tantopere, ut ab sedatiore cantu ad vehementius colloquium aut ad familiarem confabulationem non possint non transsilire. Sermones ipsi possunt tales esse, vix ut ex iis solis illam chori institutionem agnoscas: licet non ex sua quemque persona choreutam loqui, sed singulos deinceps quasi universi chori partes sustinere; non ut diversa et contraria proferant, sed ut transmisso ab alio ad alium carmine, una eademque sensuum ac cogitationum series continuetur per diversos cantores. In talibus canticis ad intelligentiam quidem sensus non multum lucramur ex detecto choreutarum numero; verumtamen in re qualibet quid verum sit, primo loco indagandum est: deinde, num utile, et cui rei; et quis est qui infitias ierit, ex eiusmodi demum rerum cognitione plenam melicis lucem posse affundi? Num vero ignoramus, per minutissimarum saepe rerum obscuritatem stetisse, ut maximae intelligi nequiverint: quibus tenebris disiectis necopinus dies effulsit, nisi continuo, at certe postquam annis aliquot res iacuerat? Iam igitur secundum amici distributionem, si singula hemichororum cantica singulis personis adscribantur, tredecim fiunt: qua re perspecta non id egi, ut praeceptis opinionibus accommodarem eam, sed aliae

fuerunt rationes, quae, ne amico confiderem, moverent. Anacreonticus vs. 1022. finit systema: eo finito consentaneum est incipere alium cantorem: itaque vss. 1019 — 1026. non possunt ab uno hemichoro recitari, sed dividendi inter utrumque, ita ut alterius sint vss. 1019 — 1022. alterius 1023 — 1026; et illi quidem Danaidum sint; at hi quominus famulis tribuantur cunctis, obstant haec verba: Ὑποδέξασθε δ', ὀπαδοὶ Μέλος: quod haud dubie movit amicum, ut contra indicium metri utrumque systema uni Danaidum hemichoro tribueret. Sed bono simus animo: hoc enim ipso in rectam viam reducimur; at priusquam de singulis exponamus, age descriptum ad nostram dispositionem locum ante oculos ponamus.

ΧΟΡΟΣ.

Δαναΐδων κορυφαῖος.

στρ. ά. Ἴτε μὰν ἀστυάνακτας
Μάκαρας θεοὺς γαναόντες
Πολιούχους τε καὶ οἳ χεῦμ' Ἐρασίνου
Περιναίονται παλαιόν.

Θεραπαινῶν κορυφαῖος Δαναΐς.

ἀντ. ά. Ὑποδέξασθε δ' ὀπαδοὶ,
Μέλος· αἶνος δὲ πόλιν τήνδε Πελασγῶν ἐχέτω, μηδ' ἔτι Νείλου
Προχοὰς σέβωμεν ὕμνοις.

Δαναΐδων ἡμιχόρου πρώτη.

Ποταμοὺς δ' οἳ διὰ χώρας στρ. β'.
Θελεμὸν πῶμα χέουσιν,
Πολύτεκνοι, λιπαροῖς χεύμασι γαίας
Τόδε μειλίσσοντες οὖδας.

Θεραπαινῶν ἡμιχόρου πρώτη.

Ἐπίδοι δ' Ἄρτεμις ἁγνὰ ἀντ. β'.
Στόλον οἰκτιζομένα μη-
δ' ὑπ' ἀνάγκας γάμος ἔλθοι Κυθέρειος·
Στυγερὸν πέλει τόδ' ἆθλον.

Δαναΐδων ἡμιχόρου δευτέρα.

Κύπριδος δ' οὐκ ἀμελεῖ θε- στρ. γ'.
σμὸς ὅδ' εὔφρων. δύναται γὰρ
Διὸς ἄγχιστα σὺν Ἥρᾳ,
Τίεται δ' αἰολόμητις
Θεὸς ἔργοις ἐπὶ σεμνοῖς.

Θεραπαινῶν ἡμιχόρου δευτέρα.

Μετάκοινοι δὲ φίλαι μα- στρ. δ'.
τρὶ παριστᾶσι· πάθος δ' οὐ-
δὲν ἄπαρνον τελέθει πρά-
κτορι Πειθοῖ· δέδοται δ' Ἁρ-
μονίᾳ μοῖρ' Ἀφροδίτας.
Ψιθυραὶ τριβοί τ' ἐρώτων.

Δαναΐδων ἡμιχόρου τρίτη.

Φυγὰς ἀστῶν δ' ἐπινοίας ἀντ. γ'.
Κακά τ' ἄλγη πολέμους θ' αἱ-
ματόεντας προφοβοῦμαι,
Τί ποτ' εὔπλοιαν ἔπραξαν
Ταχυπόμποισι διωγμοῖς.

Θεραπαινῶν ἡμιχόρου τρίτη.

ἀντ. δ'. Ὅτι τοι μόρσιμόν ἐστιν,
Τὸ γένοιτ' ἄν. Διὸς οὐ παρ-
βατός ἐστιν μεγάλα φρήν
Ἀπέρατος· μετὰ πολλῶν
Δὲ γάμων ἄδε τελευτὰ
Προτέραν πέλοι γυναικῶν.

Δαναΐδων ἡμιχόρου τετάρτη.

στρ. έ. Ὁ μέγας Ζεὺς ἀπαλέξαι
Γάμον Αἰγυπτογενῆ μοι.

Θεραπαινῶν ἡμιχόρου τετάρτη.
Τὸ μὲν ἂν βέλτατον εἴη.
Σὺ δὲ θέλγοις ἂν ἄθελκτον.

Δαναΐδων ἡμιχόρου πέμπτη.
Σὺ δέ γ' οὐκ οἶσθα τὸ μέλλον.

Θεραπαινῶν ἡμιχόρου πέμπτη.

ἀντ. έ. Τί δὲ μέλλω φρένα δῖαν
Καθορᾶν ὄψιν ἄβυσσον;

Δαναΐδων ἡμιχόρου ἕκτη.
Μέτριον νῦν ἔπος εὔχου.

Θεραπαινῶν ἡμιχόρου ἕκτη.
Τίνα καιρόν με διδάσκεις;

Δαναΐδων ἡμιχόρου ἑβδόμη.
Τὰ θεῶν μηδὲν ἀγάζειν.

Δαναΐδων ἡμίχορος.

στρ. ς'. Ζεὺς ἄναξ ἀποστεροί-
η γάμον δυσάνορα

Δάϊον ὥςπερ Ἰὼ
Πημονᾶς ἐλύσατ' εὖ
Χειρὶ παιωνίᾳ κατασχέθων,
Εὐμενεῖ βίᾳ κτίσας.

Θεραπαινῶν ἡμίχορος.

Καὶ κράτος νέμοι γυναι- ἀντ. ϛ'.
ξίν. τὸ βέλτερον κακοῦ
Καὶ τὸ δίμοιρον αἰνῶ,
Καὶ δίκα δίκας ἕπε-
σθαι ξὺν εὐχαῖς ἐμαῖς λυτηρίοις
Μηχαναῖς Θεοῦ πάρα.

Ultima stropha cum antistropha potest etiam ab universo choro cantata esse, non a dimidiis; sed a singulis personis cantari non poterant, quod ex toto loco apparet et comparatione chori in Septem adversus Thebas fiet etiam apertius. Et sic quidem coetus effectus est personarum XV, qui in aequales partes duas ita dividendus erat, ut alterutra septenas haberet, unus superesset universi chori dux et gubernator, utque altera semissis Danaidum, altera esset famularum. Verum ubi hemichoros e regione collocatos amoebaeo carmine oportebat canere, iam dux ille extra numerum positus aut omnino non cantaret necesse erat, aut in alteram partem concedere debebat; illud absurdum est: itaque hoc pro certo ponendum, nec dubium quin universi chori dux ad Danaidas propius concesserit,

utpote quem Danaidum una ageret: quem ducem in descriptione versuum simpliciter appellavi Δαναΐδων κορυφαῖον: atque ita Danaidum hemichorus iam constat octo cantoribus, duce uno, gregariis septem. Ab hoc iam duce cantus auspicandus fuit (vss. 1019 — 1022), quem ex adverso exciperet choragus famularum haec recitans (vss. 1023 — 1026): Ὑποδέξασθε δ' ὀπαδοὶ Μέλος etc. Non tamen haec in famulam conveniunt. Quid quod omnino non decet a famula duci famulas? Potius iis Danais hera imperet, et novem sint Danaides, sex famulae. Ita in comoedia, ubi chorus fuit cantorum XXIV, quum e viris et mulieribus constaret, viri XIII, feminae XI, quum e feminis ac pueris, feminae XIII, XI pueri, quum ex senibus et adolescentibus, XIII senes, XI adolescentes fuerunt. Hoc eo valebat, ut imbecillior quaeque aetas et sexus sequior ne gubernaretur ab eiusdem conditionis praesule, sed a melioris: quam ad normam etiam famulis hera praeficienda fuit. Schol. Aristoph. Eqq. 586. Ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἡμιχόρια ἵσταντο (οἱ κωμικοὶ) ἤτοι ἐξ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. ἐν δὲ τοῖς τοιούτοις χοροῖς εἰ μὲν ἐξ ἀνδρῶν εἴη καὶ γυναικῶν ὁ χορὸς, ἐπλεονέκτει τὸ τῶν ἀνδρῶν μέρος καὶ ἦσαν ιγ', αἱ δὲ γυναῖκες ιά. εἰ δὲ παίδων εἴη καὶ γυναικῶν, αἱ μὲν γυναῖκες ιγ' ἦσαν, οἱ δὲ παῖδες ιά. εἰ δὲ

πρεσβυτῶν καὶ νέων, τοὺς πρεσβύτας πλεονεκτεῖν δεῖν φασίν. In eam inprimis rem consideremus chorum Avium Aristophanis. Schol. Eqq. paullo ante: Συνειστήκει δὲ ὁ χορὸς ὁ μὲν κωμικὸς ἐξ ἀνδρῶν ἤδη καὶ γυναικῶν, ὁμοῦ δὲ καὶ ἐκ παίδων κδ', ὡς καὶ οὗτος ἀπηρίθμησεν ἐν Ὄρνισιν, ἄῤῥενας μὲν ὄρνις ιβ', θηλείας δὲ τοσαύτας. Hoc si verum est, ex adverso nobis oppositum erit. Et sane sunt XXIV aves secundum ipsum poetam vss. 298 sqq. ubi Schol. Ἀπὸ τούτων ἡ καταρίθμησις τῶν εἰς τὸν χορὸν συντεινόντων προσώπων κδ'. Nec ibi opus est quidquam cum Symmacho aut Biseto mutare. Sed quod totidem masculas et feminas dicit, in eo, credo, fallitur Schol. Quum enim sub finem fabulae hemichori constituti sint, necessarium videtur, ut alter sit masculorum, alter feminarum, atque ut feminarum coetus ducatur a mascula. Et sane possunt ita aves digeri, ostendente hac tabula.

Masculae.	Feminae.
1. Πέρδιξ.	1. Γλαύξ.
2. Ἀττα γᾶς.	2. Κίττα.
3. Πηνέλοψ.	3. Τρυγών.
4. Ἀλκυών.	4. Ὑποθυμίς.
5. Κήρυλος.	5. Περιστερά.
6. Κορυδός.	6. Φάττα.
7. Ἐλεᾶς.	7. Πορφυρίς.
8. Κεβλήπυρις.	8. Κερχνηΐς.
9. Ἶέρτος.	9. Κολυμβίς.

10. Ἱέραξ.	10. Ἀμπελίς.
11. Κόκκυξ.	11. Φήνη.
12. Ἐρυθρόπους.	
13. Δρύοψ.	

Alcyon quidem communis generis est; ipse tamen Aristophanes, Ἐκεινοσί δέ γ' Ἀλκυών, inquit; et Κήρυλον Scholia dicunt marem alcedinis esse, at ipse Comicus diserte distinguit ab Alcyone mascula. Ceterarum avium sexum partim ex vulgari scriptorum usu partim ex Scholiastae traditione definivi: nisi quod ὑποθυμὶς (ita enim legendum esse nec posse ὑποθυμιὰς metrum evincit) contra Scholiorum auctoritatem a Schneidero nostro mascula dicitur. Tantum Κεβλήπυριν demonstrare nequeo masculam esse, sed nec linguae analogia cogit, ut feminini generis sit, quum masculina passim sint ὄρνις, μάντις, ὄφις, κόρις; et veteribus aeque ac nobis ignota vox fuit, adeo ut dubitarent num una esset: quapropter non video qui Scholiastes de XII feminis ita diserte pronunciare potuerit contra suam ipsius dubitationem: immo ex ipso numero Κεβλήπυριν et unam avem esse et feminam apparet. Et quid si XII essent feminae? Nonne alia in avibus, alia in hominibus res est? apud quos feminae profecto viris imbecilliores sunt, quum in volucribus nonnullis habeantur adeo fortiores. De numero igitur Danaidum et fa-

mularum satis dictum esto: cetera dispositio non eget defensore: modo ne quis in eo haereat, quod vss. 1063, 1064. famula quinta respondeat ad ea, quae Danais famulae quartae opposuerat: etenim altera stat pro altera, aut singulae deinceps pro universis, id quod paullo ante dixi. Iam haec si vera sunt, Supplices, ut cap. V. volui, post Eumenidum casum commissa est, choro ad XV personas *lege* redacto, quod *sponte* tam paucas Aeschylus producere non poterat. Perperam opposueris, si voluisset quinquaginta Danaidas prodire, cum famulis effectum fore centum hominum chorum; idcirco non induxisse eum tot Danaidas. Num enim necesse fuit, ut famulae ad chorum adhiberentur? Nonne eae in recessu scenae stare potuerant? Et num continuo chorus, ne centum essent, ad quindecim redigendus fuit?

Hactenus de Supplicibus: at nescio an in *Prometheo* quoque *vincto* minor chorus fuerit: quem quum Nereides agant, dubium non est, si quinquaginta (tot enim fere celebrantur) in scena omnes fuissent, quin magnificentissimum numerum Prometheus non reticuisset, certe vss. 137 sqq. quum ita alloquitur:

Τῆς πολυτέκνου Τηθύος ἔκγονα
Τοῦ περὶ πᾶσαν ϑ' εἱλισσομένου
Χϑόν' ἀκοιμήτῳ ῥεύματι παῖδες,

etc. ubi etsi πολύτεκνον Tethyn vocat, ipsum numerum callide dissimulat. Tamen nolim quidquam inde de tempore fabulae statuas, nedum ut hinc coniicias correctam esse: quum enim alatis vectae curribus e sublimi scenam Nereides demissae essent, ad maiora evitanda machinarum molimenta probabile est pauciores productas esse. Ex eo etiam, quod de *Septem adversus Thebas* narrabo, nihil eiusmodi iudicetur. Ibi enim quum vss. 854 sqq. longam hemichororum seriem viderem, subiit coniectura, hic quoque singulis personis singula cantica tribuenda esse, eaque re probe perpensa multo est hoc venustius visum. Vss. 854 — 857. hemichoro primo tribuuntur perperam: hi enim anapaesti a melicis omnino disiungendi sunt, et solent sermones singularum chori personarum praecedere, ut Agam. vss. 1323 — 1334. Iam quae sequuntur hemichororum dicta, ea sunt usque ad vs. 912. quindecim in editione Schützіana, et recte: tot enim, ut vidimus, esse choreutae solebant: eaque simili, qua in Agamemnone et Supplicibus, ratione digerenda sunt. Post haec vss. 913 — 938. infertur stropha cum antistropha, *quae quidem in nonnullis libris*, ait Stephanus, *hemichoris tribuuntur, sed alii choro partim, partim Antigonae, partim Ismenae tribuunt.* Atque Ismenae et

Antigonae nullae certe hic partes sunt, quod et alii viderunt: immo apparet haec carmina aut universi chori, aut alterum, stropham inquam, primi, alterum, id est antistropham, secundi hemichori esse; plane ut in Supplicibus post quindecim personarum singulas recitationes stropha et antistropha canuntur sive a toto coetu sive a dimidiis chori partibus sese excipientibus. Notabis simul, ubi totos hemichoros ponimus canere, ibi unam stropham numquam dividi in plures partes a diversis hemichoris recitandas, sed uno tenore decurrere: ubi vero nostra quidem sententia choreutae singuli cantant, ibi haud raro una stropha inter plures dividitur manifeste, quod tum ex Supplicibus ac Septem adversus Thebas conspici potest, tum capite sequenti aliunde praeterea apparebit. Ni fallor, natum hoc est ex variis ac multiplicibus flexibus saltationis, quos choreutae inter se ad suum quisque cantum necterent, et ipsa fortasse saltatio dedit poetis occasionem ita instituendi chori, ut singuli cantores agerent. Hoc adiiciant, quibuscunque supra non satisfactum est, quum dissererem de causis, quae tragicos induxissent, ut inter singulos dispescerent, quae universus etiam chorus potuisset pronunciare. Verum hoc utut est, tot tragoediis ratio haec adhiberi apte potest, ut, etiamsi vulgaris dif-

ficultatem nullam habuerit, huic tamen ex ipsa facilitate eaque frequentissima magna accedat veritatis species.

Caput VII.

Explicatur chori ratio in Euripideis nonnullis tragoediis. Böttigeri commentum quoddam de mutis personis refutatum.

Tragicus chorus lege quidem coercitus est, ut ultra quindecim homines prodire ne liceret; quae vero cogeret, ne pauciores essent, nulla lex fuit, modo ne nimium parcus ac tenuis esset; adeoque adducor, ut credam minimum numerum fuisse XII, quem nonnulli ponunt, maximum XV personarum: et illius aperta vestigia in dramatis Euripidis agnosco; item etiam medii quodammodo numeri XIV in eiusdem *Supplicibus*, in qua non absimilis Aeschyli Supplicibus chori institutio videtur esse. Nam Eurip. Suppl. 71. chorus Argivarum canit:

Ἀγὼν ὅδ' ἄλλος ἔρχεται γόων γόων
Διάδοχος· ἀχοῦσι προπόλων χέρες.
Ἴτ', ὦ ξυνῳδοὶ κακοὶ,
Ἴτ', ὦ ξυναλγηδόνες,

Χορὸν τὸν ἅδας σέβει.
Διὰ παρηΐδος ὄνυχα λευκὸν
Αἱματοῦτε χρῶτά τε φόνιον.
Τὰ γὰρ φθιτῶν τοῖς ὁρῶσι κόσμος.

Sive duo primi versus ab Aethra pronunciantur, ut vult Marklandus, sive ut cetera a mulieribus chori, compellantur hic ministrae matronarum una in scenam progressae, quarum et vs. 1115. mentio fit, *λάβετ' ἀμφίπολοι γραὸς ἀμενοῦς*. Hae famulae, licet a coetu matronarum manifeste disiunctae, aliquoties tamen ut sociae cantus considerantur; unde non dubito, quin aliquot saltem locis choro herarum concinuerint. Et apparet quidem, in sermonibus chori cum ducum septem adstantibus pueris vss. 1114 sqq. ex hemichoris primum anapaestis scriptum vss. 1114 — 1122. esse matrum, alterum vss. 1127 — 1130. famularum, tertium 1134 — 1137. iterum matrum: illa verba, *πᾶ δάκρυα φέρεις φίλα Ματρὶ τῶν ὀλωλότων* etc. magis certe famulis conveniunt, quae modo ab heris compellatae erant, quam ipsis his. Chorum autem agunt matres caesorum ad Thebas septem ducum, eaeque, etsi Amphiarai quidem et Polynicis, ut poté humo iam conditorum, melius aberant, adsunt omnes: pro Adrasto nempe substitutus est Eteocles mortuus pro vivo, ut essent septem; v.

vs. 871. et ibi Barnes. praeeuntibus Aeschylo VII adv. Theb. vss. 442 sqq. Sophocle Oed. Col. vs. 1316. Horum igitur, ut dixi, matres sunt pro choro, de quibus loquitur Aethra vs. 100. *γυναῖκες αἵδε μητέρες τέκνων Τῶν κατθανόντων ἀμφὶ Καδμείας πύλας Ἑπτὰ στρατηγῶν*: et ipsae dicunt vs. 936. *ἑπτὰ ματέρες ἑπτὰ κούρους Ἐγεινάμεθ' αἱ ταλαίπωροι Κλεινοτάτους ἐν Ἀργείοις*. Cf. vs. 12. Et ubivis vetulae appellantur aut matres, vss. 8. 17. 35. 169. 598. 798. de uxoribus nusquam quidquam: ut futile sit Barnesii commentum in Argum. Suppl. Ὁ δὲ χορὸς, inquit, *ἐξ Ἀργείων γυναικῶν, αἱ μητέρες καὶ γυναῖκες ἦσαν τῶν ἐν Θήβαις πεπτωκότων ἀριστέων*: quod originem duxit fortasse ex vss. 1124. 1138. et similibus, ubi tamen matres non respectu puerorum dicuntur, sed patrum ad Thebas caesorum. Has septem matronas totidem probabiliter (ne quid pronunciem arrogantius) famulae sequebantur, sicque chorus fuerit XIV mulierum. Iam inde iudices de antistrophicis vss. 598 — 633. ubi mihi quidem liquet, breviora septem chori dicta a singulis personis proferri singula: ita ut primae sit vs. 600. alterius vs. 602. et sic deinceps ad septimam usque, quae vs. 621. pronunciabit: quod autem superest carmen uno tenore decurrens vss. 626 — 633. ab universo sive matronarum hemichoro, sive

mulierum choro cantabitur, quapropter etiam pluralis numerus positus est in senario melica annunciante vs. 626.

Κεκλημένους μὲν ἀναχαλούμεθ' αὖ θεούς.

Atque ut ibi cum Aethra singillatim sermones conserunt, ita et vs. 789 sqq. in antistróphicis cum Adrasto per vices singulae loqui videntur: in quibus ne illud te offendat, unam solere de *filiis* pluribus dicere: nam eam, quae cunctorum corpora ante se posita aspiceret, unum suum filium invocare, duri esset et atrocis animi: nunc altera alterius dolorem ferunt communiter. In hoc autem maxime confuso loco constituendo, expulsa Barnesii turpissima interpolatione vs. 806. deleo illud τοῖς τεκοῦσι δ' οὐ λέγεις vs. 819. quod omni sensu caret, verbaque πημάτων γ' ἄλις βάρος cum Musgravio choro tribuo, atque Adrasto cum eodem exclamationem αἰ αἰ et ἀΐετέ μου, in hoc tantum ab eo discedens, quod inter haec nihil excidisse puto; recteque ad ea respondet ex choro una: Στένεις; ἐπ' ἀμφοῖν ἄχη (ita interpunge): *Ingemis? ambo lugemus;* hoc sensu: *Tu ingemis, ac nos provocas, ut ad te attendamus; nosne tu censes minus ingemiscere?* quod pro melicorum ratione magis concise dixit. Et inde natum illud περισσὸν, ut ap. Musgrav. glossator vocat verba τοῖς τεκοῦσι

δ' οὐ λέγεις: hoc enim pro interpretamento quispiam adscripsit ad illud, ἐπ' ἀμφοῖν ἄχη, ad v. λέγεις intellecto στένειν: *Tu ingemis, matres non iubes ingemiscere?* Quod est ad normam hanc: Χαίρεις ὁρῶν φῶς· πατέρα δ' οὐ χαίρειν δοκεῖς; Alcest. vs. 694. coll. Aristoph. Nub. vs. 1419. Thesm. vs. 194. aut ut Hecub. vs. 1230. Ἀλγεῖς· τί δ' ἡμᾶς; παιδὸς οὐκ ἀλγεῖν δοκεῖς; His ita positis etiam hic sunt septem dicta a singulis, ni fallor, matronis per vices prolata, donec, credo, in monostrophicis, quae sequuntur, ab Adrasto denuo vs. 824. compellatae, iam uno concentu recitant haec plurali etiam numero usae:

— — Κατὰ μὲν ὄνυξιν
Ἠλοκίσμεθ', ἀμφὶ δὲ σποδὸν
Κάρα κεχύμεθα,

et reliqua.

Sed ut in Supplicibus ob animorum commotionem singulae chori personae canunt, ita in *Alcestide* vss. 78 sqq. partim ob eandem causam partim propter anxiam consultationem singulos senes loquentes mihi fingo, ubi nunc hemichori sunt, idque ita, ut ab alterius hemichori persona ad alterius vicissim oratio transeat obliqua via, veluti lyra in Graecorum conviviis. Ita sane multo alacriores sermones fiunt, ita aptius est illud vs. 87.

κλύει τις ἢ στεναγμὸν κ. τ. λ. nunc enim, quum unum e gregariis choreutis liceret respondere, vocula τὶς meliorem sensum fundit, quam ubi, etiamsi audisset, nemo quisquam praeter choragum dicere potuisset. Ceterum Musgravius optimis libris auctoribus vss. 105 sqq. ita continuat:

α. Καὶ μὴν τόδε δὴ κύριον ἦμαρ.
β. Καὶ τί τόδ' αὐδᾷς;
α. Ὦι χρῆν σφε μολεῖν κατὰ γαίας.
β. Ἔθιγες ψυχᾶς, ἔθιγες δὲ φρενῶν.

Cuius dispositionis veritatem vel una carminis anapaestici lex evincit. Quae si tenueris, duodecim hemichororum dicta reperies; et tot fuisse personas puto: nam ultima, Χρὴ τῶν ἀγαθῶν κ. τ. λ. quae in ipsis libris non tribuuntur hemichoro, sed choro simpliciter, non veniunt in censum, eaque sive a principe chori sive ab nescio quo pronunciantur extra ordinem.

Sed in *Ione* quoque XII chori personae fuerunt Creusae ministrae, singulaeque canunt in antistrophicis vss. 184 — 236. Chorus Delphis aedem Apollinis ingressus, pictas ibi spectat imagines, summa visendi cupiditate, quae est in puellis natura φιλοθεώροις (Iphig. A. vs. 233.), interpretantes figurarum fabulas, quo potissimum oculos vertant admonentes invicem,

operisque admirationem suaque gaudia secum communicantes familiariter. In quo sanequam inficetum foret omnes aut tacere aut unam vocem mittere, aut unam tantum vel duas pro omnibus verba facere: immo hic iam debent, si qua alibi, sermocinari singulae, singulae ceteras ad spectandum quidque cupide invitare, advocare, compellere, altera alteri signa studiose exponere, aemulari quaerendo, spectando praevertere. Sed quum ea vulgo monostrophica essent habita, primus Musgravius antistrophicam naturam perspexit, seclusis Ionis anapaestis ad antistrophica non pertinentibus, qui quidem Ion, ut hoc addam, extra chori saltationem in secessu scenae consistebat, quique aptissime pergebat iis, quibus et ante chori introitum coeperat, anapaestis dicere. Textum vero Musgravii plane probo, nisi quod vs. 189. reduco *καλλιβλέφαρον*, vs. 190. interpungo post *ἰδού*, vs. 223. scribo *τίνα τήνδ' ἐθέλεις*, et vs. seq. *κατέσχε*, non *κατεῖχε*, quod metro quidem sufficit, non item rationi grammaticae; et vs. 233. non lego *γύαλον εἰσιδεῖν*, sed *γύαλα τάδ' ἐσιδεῖν*, ut olim versum incerti tragici sanavi ad Plat. Legg. p. 191. non assequente nescio quomodo Censore Lipsiensi benevolentissimo in Ephemerid. litt. No. LVI, p. 891. Nec vss. 187. et 197. voces *θεραπεῖαι* et *παρὰ πήναις* cum Mus-

gravio singulares versus facio, sed ad eum, qui alterutrum praecedit, traho alterutrum, ut decem stropha sit versuum, quot et Tyrwhittus volebat. Haec igitur antistrophica vulgo absurdissime choro, Creusae et Ioni tributa sunt: Creusam et Ionem Musgravius expulerunt et Tyrwhittus, choroque omnia adscripserunt, sed dissimiliter: hic chorum enarrationem imaginum putat accipere a principe suo, quod falsum esse statim apparet; ille partim abs choro, partim ab hemichoris transigi cantica censet, *quamquam*, ait, *versus qui singulis tribuendi sint, non adeo facile est definire.* In quo sibi parum confisus est is, qui toties peccavit pessima confidentia: optime tamen vidit, illa a vs. 184. *οὐκ ἐν ταῖς* ad vs. 189. *καλλιβλέφαρον φῶς*, item a vs. 219. *δὲ τὸν* ad vs. 221. *λευκῷ ποδί γ'*, ut ea, quae sequuntur, omnia praeter Ionis verba, esse totius chori, h. e. coryphaei (nisi vss. 184 — 189. a pleno choro canuntur); quodque vss. 190 — 218. inter hemichoros distribuit, id quoque tam recte fecit, ut unum reprehendendum sit, quod vs. 194. inter utrumque hemichorum diviserit, quum quivis videat eiusdem esse et vocem *ὁρῶ* et seqq. *καὶ πέλας* etc. sicuti est vs. 214. *Ὁρῶ, τὸν δάϊον Μίμαντα πυρὶ καταιθαλοῖ*, ne aliis rationibus utar. Quae quum ita sint, duodecim chori sunt dicta, singulis personis

singula pronunciantibus; atque ut lector perspicue omnia videat exposita, totum locum describam, prout disposui.

ΧΟΡΟΣ.

στρ. ά. Οὐκ ἐν ταῖς ζαθέαις Ἀθάναις
Εὐκίονες ἦσαν αὐλαὶ
Θεῶν μόνον οὐδ' Ἀγυιάτιδες θεραπεῖαι·
Ἀλλά γε καὶ παρὰ Λοξίᾳ
Τῷ Λατοῦς διδύμων προσώ-
πων καλλιβλέφαρον φῶς.

Ἡμιχόρου ά πρόσωπον ά.

Ἰδοὺ, τάνδ' ἄθρησον
Λερναῖον ὕδραν ἐναίρει
Χρυσέαις ἅρπαις ὁ Διὸς παῖς.
Φίλα, πρόσιδ' ὅσσοις.

Ἡμιχόρου β' πρόσωπον ά.

ἀντ. ά. Ὁρῶ, καὶ πέλας ἄλλος αὐτοῦ
Πανὸν πυρίφλεκτον αἴρει.

Ἡμιχόρου ά πρόσωπον β'.

Τίς; ἆρ' ὃς ἐμαῖσι μυθεύεται παρὰ πηναῖς
Ἀσπιστὰς Ἰόλαος ὃς
Κοινοὺς αἰρόμενος πόνους
Διῴ παιδὶ συναντλεῖ;

Ἡμιχόρου β' πρόσωπον β'.

Καὶ μὰν τόνδ' ἄθρησον
Πτεροῦντος ἕφεδρον ἵππου·
Τὰν πυριπνέουσαν ἐναίρει
Τρισώματον ἀλκάν.

Ἡμιχόρου ά πρόσωπον γ'.

Παντᾷ τοι βλέφαρον διώκω. στρ. β'.

Ἡμιχόρου β' πρόσωπον γ'.

Σκέψαι κλόνον ἐν πτυχαῖσι
Λαΐναισι γιγάντων.

Ἡμιχόρου ά πρόσωπον δ'.

Ὧδε δερκώμεσθ', ὦ φίλαι.

Ἡμιχόρου β' πρόσωπον δ'.

Λεύσσεις οὖν ἐπ' Ἐγκελάδῳ
Γοργωπὸν πάλλουσαν ἴτυν;

Ἡμιχόρου ά πρόσωπον έ.

Λεύσσω Παλλάδ' ἐμὰν θεόν.

Ἡμιχόρου β' πρόσωπον έ.

Τί γὰρ κεραυνὸν ἀμφίπυρον
Ὄμβριμον ἐκ Διὸς ἐκηβόλῃσι χερσίν;

Ἡμιχόρου ά πρόσωπον ς'.

Ὁρῶ, τὸν δάϊον
Μίμαντα πυρὶ καταθαλοῖ.

Ἡμιχόρου β' πρόσωπον ς'.

Καὶ Βρόμιος ἄλλον
Ἀπολέμοισι κισσίνοισι βάκτροις
Ἐναίρει γᾶς τέκνον ὁ Βακχεύς.

Χορός.

Σέ τοι τὸν παρὰ ναὸν αὐδῶ. ἀντ. β'.
Θέμις γυάλων ὑπερβῆ-
ναι λευκῷ ποδί γ';

Ἴων.

Οὐ θέμις, ὦ ξέναι. συστ. ἀναπαιστ.

Χορός.

Οὐδ' ἂν
Ἐκπυθοίμαν αὐδὰν σέθεν;

Ἴων.

Τίνα τήνδ' ἐθέλεις;

Χορός.

Ἆρ' ὄντως μεσομφαλιὸν
Γᾶς Φοίβου κατέσχε δόμος;

Ἴων.

Στέμμασί γ' ἐνδυτὸν, ἀμφὶ δὲ Γοργόνες.

Χορός.

Οὕτω καὶ φάτις αὐδᾷ.

Ἴων.

Εἰ μὲν ἐθύσατε πέλανον πρὸ δόμων
Καί τι πυθέσθαι χρῄζετε Φοίβου,
Πάριτ' εἰς θυμέλας, ἐπὶ δ' ἀσφάκτοις
Μήλοισι δόμων μὴ πάριτ' εἰς μυχόν.

Χορός.

Ἔχω μαθοῦσα· θεοῦ δὲ νόμιον
Οὐ παραβαίνομεν· ἃ δ' ἐκτὸς, ὄμμα τέρψει.

Ἴων.

Πάντα θεᾶσθ', ὅτε καὶ θέμις ὄμμασι.

Χορός.

Μεθεῖσαν δεσπόται
Θεοῦ με γύαλα τάδ' ἐσιδεῖν.

Ἴων.

Δμῳαὶ δὲ τίνων κέκλησθε δόμων;

Χορός.

Παλλάδος ἔνοικα
Τρόφιμα μέλαθρα τῶν ἐμῶν τυράννων.
Παρούσας δ' ἀμφὶ τάδ' ἐρωτᾷς.

Postremo de *Medea* quod mihi in mentem venit, non dissimulabo. Postquam enim haec scripseram, incidit in manus egregia God. Hermanni dissertatio Solemnibus Magistrorum creandorum indicendis Lipsiae scripta a. 1807, in qua summus Criticus de *Calliae γραμματικῇ θεωρίᾳ* ad Athen. X, p. 453. novam rationem proposuit. In ea fabula XXIV mulieres, h. e. litterae chorum agunt, (quot et in comoedia erant, sed aliam ob causam,) et Alpha chori est magistra. *Callias* autem, quod acutissime Hermannus invenit p. XIV. *ita personas coniunxerat, ut singulas strophas singulae consonantes totas canerent, accinentibus ordine singulis vocalibus. Veluti si strophae e septem versibus constabant, primam stropham totam canebat Beta, in primo autem versu accinebat Alpha, in secundo E, et sic in singulis versibus reliquae vocales.* Haec ille. Ac probabiliter fuerunt strophae XVII, canentibus consonis β, γ, δ, ζ, θ, κ, λ, μ, ν, ξ, π, ρ, σ, τ, φ, χ, ψ, eaeque singulae consti-

terunt sectionibus sive versibus VII, accinentibus deinceps vocalibus, α, ει, η, ι, ου, υ, ω. Euripides autem in Medea imitatus esse dicitur teste Athenaeo: Ὥστε τὸν Εὐριπίδην, ait l. c. μὴ μόνον ὑπονοεῖσθαι τὴν Μήδειαν ἐντεῦθεν πεποιηκέναι πᾶσαν, ἀλλὰ καὶ τὸ μέλος αὐτὸ μετενηνοχότα φανερὸν εἶναι. Et lib. VII, p. 276. A. Καὶ γὰρ Καλλίαν ἱστορεῖ τὸν Ἀθηναῖον γραμματικὴν συνθεῖναι τραγῳδίαν, ἀφ' ἧς ποιῆσαι τὰ μέλη καὶ τὴν διάθεσιν Εὐριπίδην ἐν Μηδείᾳ καὶ Σοφοκλέα τὸν Οἰδίπουν. Hoc posito, ut cetera praetermittam, pergit Hermannus l. c. *Utrumque*, inquit, *Athenaei locum consideranti non potest dubium esse, de solis choris agi, qui quod primaria tragoediae pars habebantur,* τὴν Μήδειαν πᾶσαν *dicere potuit Athenaeus. In his choris* μέλη, *de quibus iudicari nunc non potest, et* διάθεσιν, *quae est personarum descriptio, a Callia Euripides sumpserat. Et personarum descriptio, si fides est Athenaeo, in omnibus chori carminibus, quae sunt in Medea, ad Calliae exemplum facta esse debuit. Quod quidem fieri potuisse non negabit, qui Euripidem choros in universum quidem ad Calliae rationem, sed, uti decebat, aliis in locis aliter conformasse sibi persuaserit. Quamquam in singulis locis hanc imitationem aperire difficile est.* Nempe quis putabit facile esse, quum ne illud quidem

certo sciamus, quid in nostra, quae superest, Medea, interpolationi debeatur, quidque ex priore editione relictum sit? Sed in imitatione ita versatum Euripidem arbitror esse, ut, si Callias tot strophas fecerit, quot consonantes sunt, ac tot sive versuum sive sectionum, quot vocales, ut, inquam, Tragicus tot faceret strophas, quot chorus personas haberet, et totidem aut versuum aut particularum, quot dempta una personae forent: sic singulae personae singulas strophas cecinerint, singulis autem strophae versibus accinuerint singulae ceterae, aut nisi versibus, at certe singulis, quae unam quandam sententiolam complecterentur, carminis articulis. Verum quoniam non omnibus locis aliquid inveniri potest, quod, nullo antiquitatis testimonio, sua se verisimilitudine commendet, etiamsi quae dicam habeo, tamen dubia hac canticorum dispositione chartas haud consumam: de duobus tantum locis disseram, ubi probabilem distributionem mihi videor invenisse: de altero vs. 148 sqq. dixit ex parte Hermannus p. XIV seq. cui carmen hoc ad Calliae exemplum conformatum *ista personarum descriptione multo fit praestabilius, quum personis ita per vices ista dicentibus maius chori studium maiorque motus declaretur;* in quo mihi secundum ea, quae capite praecedenti disputavi, mirifice

convenit cum viro egregio. Ac si cui forte, quod nobis secus videtur, ex poetices rationibus hoc improbetur, is ne obliviscatur, etiam musicam et saltationem in veterum dramatis respiciendam fuisse, et musicam quidem, quum initio ministra carminis fuisset, verba autem praevalerent, atque hymni essent, quos Pindarus vocat, *ἀναξιφόρμιγγες*, mox ingruente musicae corruptione tantum sibi arrogasse, iam ei ut verba servire cogerentur, quemadmodum nunc est in Italicis dramatis. V. Athen. XIV, p. 617. C. D. coll. Plat. Rep. III, p. 398. D. p. 400. A. Sed ut revertar ad rem, in eo solo ab Hermanno discedo, quod is incertum putat esse, *utrum singulis litteris apud Euripidem singulae personae, an plures coniunctae significentur*: potius plane ut apud Calliam uni cantori reliquos singulos credo succinuisse, isque ipse locus, quem indicavi, quemque et Hermannus tractavit, meam mihi sententiam firmat. Fingas tibi XII choreutas: unus canet monostrophica omnia a vs. 131. ad vs. 213. edit. Barnesianae, quam soleo sequi: succinent per vices, qui supersunt, undecim, atque ita quidem, ne loco emendatius adscribendo nimium longus fiam, ut succinat reliquorum

primus vss. 131. 132.
secundus vss. 133—135.

tertius	vss. 136—138.
quartus	vss. 148. 149.
quintus	vss. 150—153.
sextus	vss. 154—156.
septimus	vss. 157—159.
octavus	vss. 173—177.
nonus	vss. 180—183.
decimus	vss. 203—206.
undecimus	vss. 207—213.

Nec minus apte ad monostrophica vss. 1273 — 1292. ab uno cantore recitata, undecim succinent ordine, et quidem

primus	vs. 1273.
secundus	vs. 1274.
tertius	vss. 1275. 1276.
quartus	vss. 1279—1281.
quintus	vss. 1282. 1283.
sextus	vss. 1284. 1285.
septimus	vss. 1286. 1287.
octavus	vs. 1288.
nonus	vs. 1289.
decimus	vs. 1290.
undecimus	vss. 1291. 1292.

Haec si vera sunt, probabile est, ex tot personis, quot loquentes Euripides induxerit, eius chorum conflatum fuisse: ut aliquot productos esse statuam, qui propter imperitiam omnino non cecinerint, sed tantum numerum expleverint, in antiquis tribus tragoediae auctoribus abhorret animus. Celeberrimus quidem *Böttigerus* in altera parte libri vernacula scripti de Furiarum persona num. X. hoc fere demonstratum it in universum: nam postquam

de opibus a civibus in tragoedias erogatis disseruerat, ita ille pergit: *Consentaneum igitur*, inquit, *etiam hic eos operam dedisse, ut sumptui parcerent, ubi sine sordium specie posset fieri.* Itane vero? Nonne quo quis maiorem sumptum in spectacula fecerat, eo et sibi et aliis de republica melius videbatur meritus esse? V. Wolf. Prolegg. ad Dem. adv. Lept. p. XCI, not. Nempe hoc est in iis, quae Aristot. Eth. Nicom. IV, 5. vocat πρὸς τὸ κοινὸν εὐφιλοτίμητα, οἷον εἶπον χορηγεῖν οἴονται δεῖν· λαμπρῶς ἢ τριηραρχεῖν ἢ καὶ ἑστιᾶν τὴν πόλιν: ut mihi quidem hoc non ita, ut viro praestantissimo, consentaneum sit. Et deinceps: *Huc pertinet*, ait, *quod aliquot ex choreutis, credo postremi, nihil nisi numerum explebant, cetera muti, dum reliqui canerent. Inde Menander lepidissima comparatione utitur* (*Menandri Rell. p.* 221. *Cleric.*):

Ὥςπερ τῶν χορῶν
Οὐ πάντες ᾄδουσ', ἀλλ' ἄφωνοι δύο τινές
Ἢ τρεῖς παρεστήκασι πάντων ἔσχατοι
Εἰς τὸν ἀριθμόν.

Speciosum hoc est, fateor, sed tempora distinguas velim: de sua Menander aetate loquitur, quum fractis civitatis opibus ἐπέλιπον οἱ χορηγοὶ, ut ait Platonius Prolegg. in Aristoph. p. XI. ed. Kuster. Quis enim Athenienses iis

temporibus, quum immensos sumptus libentes profunderent, in duobus tribus cantoribus erudiendis crumenae pepercisse credat? quos ipse Böttigerus (quat. aett. rei scen. p. 11.) ex Plutarcho (utrum Athenienses bellica sapientia praestiterint p. 421.) refert plus sumptuum in tragoedias expendisse, quam in omnia bella contra barbaros ac de principatu gesta, eos inquam, ex quibus unus summam 13515 imperialium, ingentem tum pecuniam, paucis annis in ludos erogavit, legibus ne quartam quidem partem impendere adstrictus. V. Wolf. l. c. p. CXIX seq. Notabis autem τὸν ἀριθμὸν hic esse *legitimum*, quem novimus, *numerum;* tamen idem infert: *Extrema verba explicant Horatianum illud Epist. I*, 2. Nos *numerus* sumus et fruges consumere nati; *ubi mutos eiusmodi vicarios, qui a choragis tantum alerentur, intellexerim potissimum.* Haec mihi vix persuasi a praestantissimo viro profecta esse: nullam enim numerus Horatianus nec cum Menandreo nec cum tragico coniunctionem habet, nisi qua omnes inter se numeri tenentur; atque eadem ratione posses ipsum Platonicum numerum cum Horatiano componere, idque etiam facilius, postquam quidam miro scilicet acumine summaque industria diversissimos homines, Platonem et Horatium ostendit sibi simillimos in nonnullis esse.

Omnes homines, qui sese non student praestare ceteris et hominibus et animalibus, ii sunt fruges consumere nati, propterea quod, (etiam cum Sallustio respondeo,) natura ventri obedientes finxit: num quisquam hoc mutorum in scena choreutarum proprium unquam putavit? Quid quod numerus apud Graecos Latinosque scriptores passim est de *quavis* futili multitudine: sic enim res hominum comparatae sunt: multa vulgaria, praeclara pauca: *πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι.* Ne de hominibus quidem semper est, sed, ut dixi, de rebus quibuscunque, ut Soph. Oed. Col. vs. 382.

> *Ταῦτ' οὐκ ἀριθμός ἐστιν, ὦ πάτερ, λόγων*
> *Ἀλλ' ἔργα δεινά.*

Aliter quidem, similiter tamen Eurip. Heraclid. vs. 997.

> *Εἰδὼς μὲν οὐκ ἀριθμὸν ἀλλ' ἐτητύμως*
> *Ἄνδρ' ὄντα τὸν σὸν παῖδα.*

Et Troad. vs. 476.

> *Οὐκ ἀριθμὸν ἄλλως ἀλλ' ὑπερτάτους Φρυγῶν.*

Apud Plautum viles servuli sunt numerus, Mostell. I, 1, 18.

> Augebis ruri *numerum*, genus ferratile,

ubi male Muretus V. L. V, 9. scribit *numero*, privans locum venustate omni, quae potissimum est in ambiguitate *numeri*. Postremo Aristoph. Nub. vs. 1202.

> Εὖγ' ὦ κακοδαίμονες, τί κάθησθ' ἀβέλτεροι,
> Ἡμέτερα κέρδη τῶν σοφῶν, ὄντες λίθοι,
> Ἀριθμὸς, πρόβατ', ἄλλως ἀμφορῆς νενησμένοι,

quae ne credas in foeneratores dici, sed in spectatores, non in δανειστὰς, ut est ap. Schol. ex depravatione credo, sed in θεατὰς, ut habes ap. Biset. et iam ap. Suid. v. ἀμφορεαφόροι. Sic demum Comico digni lepores erunt, Strepsiade rustico homine spectatores allatrante, qui et multi sunt et viles, hoc est *numerus*, et in cavea *sedent*, *in amphorarum Megaricarum figuram alius super alium positi*: unde, qui acumine abundet, facili negotio demonstrarit eum vocis numeri usum fluxisse quidem ex theatro, tamen haud de scena, sed ex ipsa cavea. At iocandi animum iam excutiunt ea, quae apud egregium virum sequuntur proh! nimium seria: *Verisimile*, inquit, *est, ubi res ferebat, pro vivis istis vicariis vestibus induta simulacra collocata in scena esse, unde opinor, etiam appellatio κωφοῦ προσώπου de cuiusvis mutae personae partibus explicanda est, respectu eius vocis significa-*

tionis, qua est de fatuo, vecorde. V. Valckenar. ad Ammon. II, 14. p. 136. Vocis κωφὸς vetus significatio est de *muto*: v. Reiz. Praef. ad Herodot. p. 23. unde et in scena personae, quae nihil loquebantur, mutae vocatae sunt: nam muti, si quis hoc forte ignoret, loqui non possunt. Videat lector, utrum haec expositio praestet an ista sane magis artificiosa, quae fere talis est: quam Graeci *mutam personam vocant*, ea non inde appellatur, *quod muta est*, (quamquam non negatur muta esse,) sed *quod ea fatua fuit*, utpote lignea aut pannea: eodem enim vocabulo etiam fatuum nuncupant. Sed sumptibus ut parceret, eiusmodi imagines choragus conficiendas curavit. Modo ne eae maioris steterint, quam vivi vicarii: certe unius oboli mercede poterat in aliquot horas mercenarius conduci, certe multa millia servorum, multa millia inquilinorum Athenis erant, quos aut nullo aut minimo pretio ad partes has adigere licebat. Sed noluerunt Bacchum a servis et inquilinis celebrari. At maluerunt ab ilignis et panneis? Atque ut taceam de eiusmodi cantoribus, ne de satellitibus quidem regum hoc concedi potest, qui quam ridiculi fuissent cum hastis suis ac clypeis, si toti pannis conferti forent! Nihilo tamen minus vir acutissimus mira quadam fiducia pergit quidvis ad suam sententiam detor-

quere: *Istud enim*, ait, *ex loco hactenus tantum non plane neglecto in* Νόμῳ *Hippocratis p.* 3. *ed. Mack. p.* 2, 5. *Foes. certo prope demonstrare licet. Mali medici, qui nihil nisi nomen artis habent, peritia carent; ii ὁμοιότατοί εἰσι τοῖσι παρεισαγομένοισι προσώποισι ἐν τῇσι τραγῳδίῃσι. ὡς γὰρ ἐκεῖνοι σχῆμα μὲν καὶ στολὴν καὶ πρόσωπον ὑποκριτοῦ ἔχουσι, οὐκ εἰσὶ δὲ ὑποκριταὶ, ita et medicos nomine esse multos, re ipsa paucos.* Quantae saepe tenebrae offunduntur oculis, ubi ad demonstrandum aliquid contendimus: longinqua sectamur, ad ea, quae ante pedes posita sunt, caecutimus; quodque Thracia ancilla in magnum Thalen dixit, idem etiamnum multis in memoriam revocandum: dum ad maiora tendunt, *τὰ ἔμπροσθεν αὐτῶν καὶ παρὰ πόδας λανθάνει αὐτούς.* Nempe signa exanima ad parietem inclinata non possunt dici *παρεισαγόμενα*; qui enim producitur, is necesse est ingrediatur: de signo dicendum erat *παρεισφέρεσθαι.* At recte Hippocrates ab actoribus, *ὑποκριταῖς* distinxit mutas personas: actor enim est, qui agit, *ὑποκριτὴς ὃς ὑποκρίνεται*; at illae nihil agunt, itaque nec actores sunt. Stant quidem in scena, circumaguntur etiam, veluti, qui iis comparantur, medici per urbem quidem sedulo cursitant, neque tamen aegrotos curant: ut multo etiam facetius vivis in scena

vicariis currentes isti, non curantes medici conferantur, quam immotis et ligneis. Quid igitur censes, quum Böttigerus pergit: *Hinc apparet manifeste, ingentes pupas signave articulata (mannequins) in actorum similitudinem exornata interdum ad pompam vel ostentationem proposita esse. Itaque*, infert, *Lucianus Toxar. c. 9. T. II, p. 516. amicos afflicto non succurrentes, talibus comparat personis, κωφοῖς προσώποις ἐοικότες, ἃ διηρημένα τὸ στόμα καὶ κεχηνότα παμμέγεθες οὐδὲ τὸ σμικρότατον φθέγγεται.* Nonne vero idem etiam in vivas mutas personas cadit? nonne et eae, canentibus ceteris, aperto ore stant nihil quidquam proferentes? Et quam absurde ista signa, ubi aperto ore ficta forent, tacentibus ceteris cantantium speciem praebuissent; oscitantibus similia visa essent, atque ad oscitandum ipsos spectatores provocassent. Ne tamen quid praetermittam, adduntur haec: *Eodem traho versum Aristophanis Ran. 944. πρόσχημα τῆς τραγῳδίας γρύζοντας οὐδὲ τουτί. Fortasse exornatae hae pupae proprie προσχήματα appellatae sunt, quod posthac dictum est de quavis re ad ostentationem tantum composita. V. Wesseling. ad Diod. T. I, p. 119. 83. et ad Herodot. p. 384, 87. item Intpp. Thom. M. p. 758.* Sed haec sive probanda sive refutanda relinquam ipsi auctori humanissimo, una impense

rogato; ut ne quid a me, qui nullo partium studio teneor, invidiosius dictum putet, neve in malam partem vertat, sed rei unice intento det veniam, si videar meritus esse.

Caput VIII.

Sophoclis fabulae quot fuerint. Eiusdem familia.

Post fastidiosum numerorum computum vellem iam te, benevole lector, possem ducere in lucidum sermonum pratum, iis variatum floribus, qui in hacce critica silva merus fucus essent, ut oculi, contemplandis veluti subtilibus geometrarum descriptionibus hebetati, refrigerarentur in viridi herba: verum denuo multa mihi patientia exoranda est: quodsi quid hactenus vere pronunciavi, haec, ni fallor, venia dabitur; neque enim consulto novas turbas moveo; ipsa huc oratio deduxit, nec reluctari ausus sum memor illius, Quo fata trahunt retrahuntque sequamur. Aeschyli exemplo ostendi, véterum tragicorum opera varias antiquitus mutationes passa esse, et factas eas in Aeschylo ab ipsius inprimis familia.

Sic, ut de Platone taceam, Aristotelis opera serius eruta e tenebris et criticis tradita, sunt quidem maximam partem ab ipso profecta, nonnulla tamen adiecere sectatores et discipuli; sic Coi Hippocratis scripta sunt Asclepiadarum familiae, pluribus illa divini medici cognominibus viris eiusdem et gentis et sectae tributa iam a veteribus. Quid vero loquor de pedestris sermonis scriptoribus reconditiores artes tractantibus? Alia res est, inquit, tragici in publica positi luce, alia umbraticam sapientiam docentis philosophi aut medici. Sed in Graecorum veterum securitate et criticae doctrinae neglectione nec multum interesse concedo, et si concesserim, tamen, quae dixi, eo valent ut videas, quando semel capitalia ingenia novam viam aperuerint, ingredi plures nec homines inficetos, qui laudem illorum, ac, si verbis detur audacia, personam adeo participent apud ignaram posteritatem, praesertim adiuvante sectae, gentis, nominis communione. Hoc post Aeschylum in *Sophocle* nunc monstrabo: inde ducemur ad Euripidem, reversi eo, unde profecti sumus principio. Erunt qui perhorrescant hanc temeritatem, si temeritas est investigationis audacia, cui tempore adsuescimus adeo, ut, quae ante quinquaginta annos apud nostrates in theologia, poesi, philosophia fuerint auda-

cia usque ad nefas, ea nunc iam trita sint ac, prope dixerim, lippis et tonsoribus nota. Sed iudicii severitas et acre studium veri ne pro temeritate vel nova procudendi cupiditate frivola habeatur: dum ab isto crimine tuti simus, audaciam cum principibus criticis communem habeamus; (temeritas imperitorum est et ineptorum, quibus ne audacibus quidem licet esse:) hos vero poeta iudice, in omnibus, credo, rebus ipse deus adiuvat. Atque equidem sententiam explicabo nulla arte fucatam: argumentis contendam: auctorem nequeo producere, nisi quem Kusterus, ne ipse quidem princeps criticus, criticum vocat, si quis alius, infelicem, Sam. Petitum (v. Annott. ad Aristoph. Ran. p. 64.). Eum adhuc nemo audivit, negligentia nescio an religione: de eo Brunckius, cui hoc incumbebat, de eo Valckenarius, harum rerum et amator et acerrimus iudex, quantum scio, (ne γρῦ quidem:) unus assensum patefecit Io. Alb. Fabricius B. Gr. Vol. II, p. 203. in editione doctissimi Harlesii, qui et ipse rem silentio premit. An vero quod plurimae Petiti observationes criticae falsae sunt, erunt idcirco omnes et omnino? (Res nobis et rationes, non auctoritates spectandae:) et ipsis rationibus ego cessi nonnisi invitus.

Sam. igitur *Petitus* Legg. Att. p. 70 sqq. demonstrare conatur, multa dramata falso Sopho-

cli adscribi: estque haec etiam nostra sententia, quam persequemur nunc, etsi aliter quam Petitus. Quod ut fiat, primum inquiramus, quando Sophocles primam fabulam docuerit. Hieronymus in Chronico Ol. LXXVII, 1. *Sophocles*, ait, *tragoediarum scriptor, primum ingenii sui opera publicavit.* Sed Eusebius Ol. LXXVII, 2. Σοφοκλῆς τραγῳδοποιὸς πρῶτον ἐπεδείξατο. Petitus Misc. III, 18. ponit Ol. LXXVII, 3. Archonte Demotione eum primum tragoedias edidisse: quod plenissime refutat Lessingius Vit. Sophocl. p. 326 sqq. statuens factum Ol. LXXVII, 4. magistratu Apsephione, qui minus bene Aphepsio vocatur: idque inscio praeiverant Rich. Bentleius de Orig. tragoed. p. 308. ed. Lips. Opuscc. et Dodwellus Annal. Thucyd. p. 625. ed. Lips. Thucyd. ubi nollem tam confidenter ipsum festum determinatum esset: et hoc ex illorum rationibus stat firmissimum. Eum enim annum designat Plutarchus Vit. Cimon. p. 483. E. his verbis: Ἐφ' ᾧ (reportata Thesei ossa dicit ex Scyro insula) καὶ μάλιστα πρὸς αὐτὸν ἡδέως ὁ δῆμος ἔσχεν, ἔθεντο δ' εἰς μνήμην αὐτοῦ καὶ τὴν τῶν τραγῳδῶν κρίσιν ὀνομαστὴν γενομένην. πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους ἔτι νέου καθέντος Ἀφεψίων ὁ ἄρχων φιλονεικίας οὔσης καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν κριτὰς μὲν οὐκ ἐκλήρωσε τοῦ ἀγῶνος, ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν

συστρατηγῶν προελθὼν εἰς τὸ θέατρον ἐποιήσατο τῷ θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδὰς, οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν ἀλλ' ὁρκώσας ἠνάγκασε καθίσαι καὶ κρῖναι δέκα ὄντας ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον. Et in Marmoribus Oxoniensibus diserte scriptum est vicisse Sophoclem Archonte Apsephione Ol. LXXVII, 4. anno vitae duodetricesimo. Quippe natus poeta Ol. LXXI, 2. Archonte Philippo, secundum vitae Scriptorem, unde habet Scaliger in Ol. descr. cui definitioni convenit Diodorus Sic. XIII, 103. defunctum Sophoclem tradens nonagenarium Ol. XCIII, 3. et illud, quod Ol. LXXV, 1. post Salaminiam pugnam nudus (erat enim *καλὸς τὴν ὥραν*) cum lyra et unctus circum tropaea saltavit et epinicia auspicatus est, iam tum musicen doctus et orchesticen perfectissime. V. Auctor. vit. et Athen. I, p. 20. F. Tamen Palmerius Exercitt. p. 202. et Lessingius Vit. Sophocl. p. 341. opinantur obesse verba Plutarchi, *Σοφοκλέους ἔτι νέου.* Ita et vit. Aeschyl. *ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ*, de eadem victoria. Putabant igitur Plutarchum Sophoclis natales posuisse Ol. LXXIII, 3. ut tradi ait Scaliger, credo ex Suida natum scribente Ol. LXXIII. simpliciter. Verum in eo errant. *Νέος* dicitur Sophocles, quod et natu minor Aeschylo et primum atque ante constitutam lege aetatem in

scenam prodierat. Nam lex fuit, quae tenuit et poetas et histriones (a quibus poetae tum non differebant, ut qui suarum ipsi fabularum primas partes agere solerent), lex inquam fuit, *μὴ εἰςελθεῖν τινὰ εἰπεῖν μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες τριάκοντα.* Schol. Aristoph. Nub. vs. 526. Minus bene ad solos histriones refert Petit. l. c. p. 74. Ideo Daetalenses Aristophanes per alium introduxit, ut testatur ipse l. c. Eandemque aetatem etiam choragus habere debebat. V. Hemsterh. ad Plut. p. 332. Cf. Auger. ad Demosth. T. II. P. II, p. 661. Sed in Sophocle videtur facta exceptio esse, ut in Aeschylo, qui annos natus quinque et viginti primum fabulas docuit, ut legimus ap. Suid. atque idem de Euripide narrat Thom. M. Igitur de Aeschylo quoque vit. Script. dicit: *Νέος ἤρξατο τῶν τραγῳδιῶν.* Plato etiam tetralogiam edere voluit multo ante legitimam aetatem, tum quum nondum penitus sese tradidisset Socrati. V. Appulei. de habit. doctr. p. 2. Elm. Diog. L. III, 5. Aelian. V. H. II, 30. Olympiod. vit. Plat. Eustath. ad Il. Σ, p. 1149. Rom. Agatho, cum vinceret tragoedia, a Platone Sympos. p. 198. A. dicitur *νεανίσκος*, aut iocose aut similem quandam ob causam. Haec quum ita sint, neque Sophocles natus est Ol. LXXIII, 3. neque prima eius victoria, ut Petitus putat. Ol. LXXVII,

3. sed Ol. LXXVII, 4. contigit. Idem pergit Legg. Att. l. c. *Et tunc tetralogiam edidit, ut et alii tragici: quo labore perterritus ceteris insequentibus annis nonnisi unum drama quotannis in scenam produxit.* At haec singillatim demonstranda erant. Primo quidem anno Sophocles tetralogiam edidit haud dubie; fuit enim hoc solemne, nec potuit prima vice leges scenae mutare. Deinde hoc anno acta Triptolemus, ostendente Lessingio vit. Sophocl. p. 356. (cf. eiusdem Laocoon p. 296.) ex Plinii H. N. XVIII, 12. qui habet hoc: *Hae fuere sententiae Alexandro Magno regnante, quum clarissima fuit Graecia atque in toto terrarum orbe potentissima; ita tamen ut ante mortem eius annis fere CXLV Sophocles poeta in fabula Triptolemo frumentum Italicum ante cuncta laudaverit, ad verbum translata sententia: Et fortunatam Italiam frumento canere candido.* Alexander diem supremum obiit secundum calculum accuratissimum Ol. CXIV, 1. V. Ideler de astronom. obss. veterum p. 340. Hinc retro annis computatis efficitur Ol. LXXVII, 4. quo anno primum docuit Sophocles. Ita rationes subduxit et Fabricius a Lessingio reprehensus, quod primam hanc tragoediam esse non viderit. In quo male fecit Lessingius. Est potius satyrica fabula prima, id quod fragmenta osten-

dunt et posuit Brunckius. Cf. Iacobs. Addit. ad Sulzeri Theor. T. IV. P. I, p. 146. Eo igitur anno necesse est tetralogiam ediderit, quoniam tum nulla absque tribus tragoediis commissa est satyrica fabula, notante iam Casaubono de satyr. poes. I, 2. p. 55. 4, p. 131. ne plura nunc afferam. Sed quod Petitus addit, labore perterritum poetam posthac hoc omisisse, id nusquam reperio traditum, sed est ex mera viri coniectura profectum, de qua quid exponam amplius? Et quod dicit, singulas tragoedias singulis annis esse a Sophocle editas, hausit ex Suida v. Σοφοκλῆς· Καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν. Quae verba incredibile est quantas Lessingio p. 381 sqq. turbas crearint. Nempe is putabat teste Suida inde a Sophocle iam neminem certasse tetralogiis, quod non inest eius verbis: sed quum ante nostrum tragicum numquam nisi tetralogiis certassent, ille Suida auctore effecit, ut partim his partim singulis tragoediis contendere liceret, neque alterum excludebatur altero. Fallitur igitur Petitus cum aliis in eo, quod colligit e verbis Grammatici, multoque egit cautius peritissimus Eichstadius de dram. comico-satyr. Additamm. ad p. 29. Immo certum est, etiam post primam actionem tetralogiis dimicasse Sophoclem, quod praeter Tripto-

lemum docuit Nausicaam satyricam et alia satyrica dramata; idemque apparet e didascalia Byzantii Aristophanis Argum. Eurip. Med. Ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου Ἄρχοντος (Ol. LXXXVII, 1.) κατὰ τὴν πζ' Ὀλυμπιάδα. Πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης· Μήδεια, Φιλοκτήτης, Δίκτυς, Θερισταὶ Σάτυροι· οὐ σώζονται. Hinc est quod Bentleius Epist. ad Mill. p. 462. ed. Lips. dicit: *Scimus tamen ex didascaliis non ex omni parte verum hoc esse. Vide modo Aristophanem Grammaticum in Argumento Medeae Euripidis.* Nempe et Bentleius eodem, quo alii, errore nimis generatim cepit Suidae verba, quum tamen hoc exemplum una editorum quaternorum dramatum eius testimonii fidem ex antiquis fontibus derivatam neutiquam infirmet. Rursus non desunt singillatim productarum tragoediarum exempla. Huc refero secundam Antigonae editionem, de qua mox dicam, huc primam etiam; hac enim sola, non integra tetralogia praeturae honorem poeta sibi dicitur parasse. Errorem de trilogia sive tetralogia, ad quam Antigona pertineret, in Epist. ad Mill. l. c. proditum, Bentleius agnovit ipse ibid. p. 528. Oedipus Rex quum a Philocle victa traditur esse, nullis aliarum fabularum additis nominibus, videtur singillatim producta fuisse. De Philocteta didascaliae: Ἐδι-

δάχθη ἐπὶ Γλαυκίππου· πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς. V. Argum. Philoctet. Sic, credo, scriptor non locutus esset, nisi Philoctetam voluisset doctam singulariter significare. Huc etiam pertinet illud Platonis Sympos. princ. ubi Agathonem dicit vicisse τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ, singulari numero, quod factum est Lenaeis, Euphemo Archonte Ol. XC, 4. V. Athen. V, p. 217. et inde habentem Scaligerum Ol. descr. Iam ut revertar ad Petitum, is ut firmaret calculum suum de edita quotannis singulari fabula, ratiocinium instituit hoc. Antigona docta circiter Ol. LXXXIV, 3. teste Aristophane Byzantio Argum. Antig. Φασὶ δὲ τὸν Σοφοκλέα ἠξιῶσθαι τῆς ἐν Σάμῳ στρατηγίας εὐδοκιμήσαντα ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆς Ἀντιγόνης. Sophocles praeturam gessit cum Pericle Ol. LXXXIV, 4. Timocle Archonte. V. Petit. Misc. III, 18. Musgrav. Chronol. scenic. h. a. Bentlei. Epist. ad Mill. p. 528. Lessing. vit. Sophocl. p. 391. Cf. Strab. XIV, p. 446. Iustin. III, 6. Val. Max. IV, 3. ext. 1. 2. Iam si Sophocles primum docuit tetralogiam Ol. LXXVII, 3. Demotione Archonte, et insequenti tempore edidit singulas quotannis fabulas, Antigona fuit drama tricesimum alterum. Ecce vero Aristophanes Grammaticus Argum. Antig. continuo post verba modo recitata: Λέλεκται, inquit, τὸ δρᾶμα τριακοστὸν δεύτερον. Inde

colligit Petitus singulis annis singulas a poeta fabulas editas esse. Ego vero ne quid cupide videar egisse, speciosa haec argumenta ipse infirmabo, quibus ille vir satis ostendit, quam bene sibi scenicae rei apud veteres ratio fuerit perspecta. Etenim quid Sophoclem cogebat, ut nullo anno intermisso tragoedias doceret? Annon alio anno nullam, alio plures et pluribus festis edere licebat? Annon novas promiscue cum correctis dare poterat, ita ut necesse non sit tot illum fabulas scripsisse, quoties docuerit? Accedit quod primo prodiit Ol. LXXVII, 4. non 3. ne, quod levius est, de Auctore vitae dicam, qui accedente Scaligero in Ol. descr. praeturam poetae Ol. LXXXV, 3. ponit: in hoc enim nolo nunc altius inquirere. Sed Aristophanis testimonio stat confirmatum, Antigonam circa Ol. LXXXIV. exeuntem probabiliter commissam, Sophoclis fabulam esse tricesimam alteram, id quod ex vetere traditione fluxisse vel tempus λέλεκται ostendit; nec de alio quam chronologico ordine numerus hic intelligi debet iudice etiam Casaubono ad Athen. p. 415. Ergo Sophocles ab anno aetatis duodetricesimo ad quinquagesimum circiter sextum, per Olympiadas septem praeter repetitas aliquot fabulas scripsit non ultra triginta duas. Repetitae sunt Tyro, Phineus, Lemniae; sed quando

quaeque acta sit, ignoratur. Alias autem duplices editiones, ut Athamantis et Thyestae, nunc praetermitto, quod eae habendae sunt pro fabulis plane diversis.

Pergamus nunc exquirere Petiti rationes, quae redeunt huc. Sophocles, quum docere coeperit Ol. LXXVII, 3. et defunctus sit Ol. XCIII, 3. dedit fabulas per LXIV annos; et primo quidem anno quaternas, posthac singulas quotannis, exceptis annis duobus, quibus propter praeturam docere non potuit, ut adeo solas LXVI fabulas produxerit per omnem vitam. At iisdem hic, quibus prior, vitiis calculus laborat; sed ceciderint licet Petiti rationes, tamen illud probabile mansit et credo mansurum est, qui ab anno duodetricesimo ad annum quinquagesimum sextum ediderit triginta duas fabulas, eum ab hoc ad nonagesimum non editurum fuisse nonaginta vel centum. At erit istud, si Sophoclis sunt omnes, quae tributae ei fuerunt et tribuuntur adhuc. Ediderit intra tempus hoc circiter quadraginta; satis amplus numerus fuerit comparatione prioris, amplus comparatione senis quamvis vegeti cum iuvene et viro. Adde repetitas aliquot post annum aetatis, quem dixi: sic, etiamsi tantum quadraginta ediderit, tamen aliquot potest tetralogias dedisse, id quod factum demonstravi Ol. LXXXVII, 1. quod-

que nescio an saepius contigerit. Verum et sic correctum numerum excedit Sophoclearum fabularum numerus, qui vulgo perhibetur. Suidas: Ἐδίδαξε δὲ δράματα ρκγ', ὡς δέ τινες, καὶ πολλῷ πλείω. Vit. Sophocl. Ἔγραψε δὲ, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης, δράματα ἑκατὸν τριάκοντα. τούτων δὲ νοθεύεται δεκαεπτά. Haec verba Petitus emendat ad Suidae normam, factum ex ρκγ' putans esse ρ' καὶ λ': non tamen tot, quot recensentur hic, Sophoclem dramata scripsisse, sed ex iis tantum LXVI fuisse maioris Sophoclis, septendecim fuisse spuria, quae putat ab Iophonte potissimum profecta esse, postremo quadraginta minoris fuisse Sophoclis: tot enim huius innotuerant: sic fieri CXXIII, quot dicit vitae Scriptor; quique longe plura numerassent, eos addidisse alia filii Iophontis, patri vulgo adscripta. In hac numerorum congruentia multum Petito ponderis inesse videtur; sed falsae ac fallaces Galli rationes sunt. Falso inventus numerus dramatum maioris Sophoclis, ut modo demonstravi: falso numerus CXXX apud vitae Scriptorem disertis verbis expressus corrigitur ex Suida, ubi numerus CXXIII tantum siglis scriptus multo est incertior: nec solent CXXX scribere ita, ρ' καὶ λ'; potius apud Suidam corrigendum est: ἐδίδαξε δὲ δράματα ριγ'. *Docuit*, ait, *CXIII; sed alii numerarunt multo*

plura, intellige CXXX, adnumeratis spuriis: qua certissima correctione corruunt cetera Petiti commenta. Viderit lector, haecne meliora sint an Petr. Wesselingii notata ad Petiti locum ex Suida vitae Auctorem corrigentis. Ibi enim vir egregius habet haec: *Cur tandem? Suidas esse ait, qui plus CXXIII Sophocli tribuant, et collegerunt Isaac. Casaubonus et Io. Meursius titulos fabularum Sophoclis plures CL. Quidni ergo grammaticus Aristophanes numerum Suidae potuit excedere? Multa Petitus ait ex arbitrio suo, et quia opinioni commodum videtur, ut mox, quum Sophocli iuniori quinquaginta et unam fabulam obtrudit et Suidae numerum auget nemine iubente.* De fabularum titulis pluribus CL nihil est quod Wesselingium refutem post Brunckium: de minore Sophocle dicam paullo post: eorum vero, quae Petito iure exprobravit, in nostras rationes nihil quidquam cadit.

Haec quum ita sint, non omnes, qui feruntur, Sophoclearum fabularum tituli genuinarum possunt esse, sed ad summum pauca ultra septuaginta dramata fecit maior ille et celeber Sophocles. Sed unum fortasse et alterum offendet id, quod numerus multo maior *antiquitus traditur*: ut igitur appareat, quam mature in rebus his errores insederint, pauca addam non in eorum commodum, qui in cri-

ticis causis probe versati sunt, quorum quidem non ea est imperitia nec superstitio tanta, ut nostra hac ope indigeant, sed in minus exercitatorum et nimium timidorum hominum. Nempe in Platonis operibus, qui diu post Sophoclem floruit, spurius dialogus est Minos, quem nemo iam pro genuino philosophi foetu habebit: is tamen etiam a Byzantio Aristophane habitus est in Platonicis. V. Diog. L. III, 62. Cuiusmodi exempla cumulari possent ex Graecis Latinisque litteris, nisi unum sufficeret. Utinam vero in tres tragoediae auctores tam eximia superessent scholia, quam in Homerica carmina! Ex quibus quid harum litterarum cognitio lucratura esset, auguramur ex iis, quae in manibus sunt, tenuibus fragmentorum fragmentis. Ita de dramatum numero in poetis ambigi et in Aeschylo vidimus, et licet videre in Euripide quoque, cuius fabulas XCII Thomas Mag., LXXV vero statuit Varro ap. Gell. XVII, 4. utriusque traditionis mentionem facientibus Suida et Manuele Moschopulo. Cf. Valck. Diatr. c. II. Euripidis tria dramata inque iis, credo, Rhesum veteres spuria iudicarunt, ut apparebit cap. XVIII. Iam ea opinionis diversitas potest venisse ex confusione utriusque Euripidis orta e nominis communione: neque enim inde derivem, quod aliquot fabulae, ut Messores saty-

rica, [illegible] Med. coll. Subin. [illegible] merorum causam [illegible] coniecit esse. [illegible] suum unicuique [illegible] didit. Sane permulta [illegible] se in Aristophanis [illegible] vel ex spuriis septendecim. [illegible] Suidas; et fortasse de [illegible] phocli supposita sunt. [illegible] huius nomine Parthenopaeum [illegible] Diog. L. V, 92. qui si [illegible] auctore comici exaptarunt. [illegible] dem videtur, satis fuit [illegible] tur, etiamsi Byzantius [illegible] genuinis habuisset. [illegible] ret: sed merito. [illegible] ille omnes CXIII fabulas [illegible] phoclis esse, an [illegible] dixerim eum, qui, [illegible] esse drama XXXII [illegible] LVI. tamen tot [illegible] disse; immo indignus [illegible] ita curiose indagaremus. [illegible] nes Didascalias ante [illegible] non ab omni errore [illegible] cissimis locis, ut in [illegible] nisi singularem ob [illegible] Quid vero, inquis, [illegible]

diserte tradit, tot Sophoclem fecisse fabulas, teste Suida l. c. Ἔγραψε δὲ, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης, δράματα ἑκατὸν τριάκοντα? Sed quid si suo se Grammaticus gladio, obelo dico? Continuo enim infert: τούτων δὲ νοθεύεται δεκαεπτὰ, ab ipso, ne dubites, Aristophane, praecipuo tragicorum critico, qua de re dicetur infra. Apparet igitur verba, Ἔγραψε δὲ, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης, ex Suidae fabricâ esse, nec aliud significari quam hoc: *Ferebantur autem Sophoclis nomine fabulae CXXX, auctore Aristophane, qui spurias iudicat earum XVII.* Quibus perpensis nihil temere coniecisse videbimur, si credimus Aristophanem utriusque Sophoclis fabulas eo, quem Suidas posuit, numero complexum esse, ex CXIII autem pro genuinis maioris Sophoclis habuisse omnes, quae superessent demptis minoris sive XL sive LI (quot fuisse statim demonstrabimus), sed a recentioribus Graecis litteratoribus ignorantia rerum hoc esse perperam intellectum, quasi cunctas uni tribuisset: denique eum spurias septendecim Iophonti adscripsisse, et si quis alius e Sophoclis genere tragicam poesin attigerat. Ubi vero laudatur Σοφοκλῆς ὁ τῶν τραγῳδιῶν ποιητὴς, aut ὁ τοῦ Σοφίλου, cognomine posito pro simplici nomine, nihil aliud quam illa utriusque Sophoclis fabularum collectio intelligenda erit.

His excussis superest, ut de familia Sophoclis tragica disseram. Primus est *Iophon*, de quo Suidas et inde Eudocia Violar. p. 248. Ἰοφῶν, Ἀθηναῖος, τραγικὸς, υἱὸς Σοφοκλέους τοῦ τραγῳδοποιοῦ, γνήσιος ἀπὸ Νικοστράτης. δράματα δὲ Ἰοφῶν ἐδίδαξε ν', ὧν ἐστὶν Ἀχιλλεὺς, Τήλεφος, Ἀχαιῶν, Ἰλίου πέρσις, Δεξαμενὸς, Βάκχαι, Πενθεὺς (l. ἢ Πενθεὺς) καὶ ἄλλα τινὰ τοῦ πατρὸς Σοφοκλέους. Postremis verbis nonnullae fabulae significantur ex iis, quae vulgo ipsi Sophocli tribuebantur. Nempe filii dramata dicebantur esse patris opera. Inde Aristoph. Ran. 77 sqq.

Οὐ πρίν γ' ἂν Ἰοφῶντ' ἀπολαβὼν αὐτὸν μόνον
Ἄνευ Σοφοκλέους, ὅ, τι ποιεῖ κωδωνίσω.

Ubi Schol. Κωμῳδεῖται Ἰοφῶν, ὁ υἱὸς Σοφοκλέους ὡς τὰ τοῦ πατρὸς λέγων. Haec criminatio maiorem fidem habere videtur quam similis Euripidis, qui a pluribus dicitur in scribendo adiutus esse. Certasse tamen cum Iophonte Sophoclem tradit Schol. ibid. et Scriptor vit. Sophocl. de eo alia quoque satis obscure tradens, atque insaniae pater insimulatus est ab hoc filio. Hic etiam cum Euripide et Ione dimicavit tragoedia Ol. LXXXVII, 4. et fuit secundus renunciatus. V. Argum. Eurip. Hippol. Schol. Ran. dicit de eo: Ἠγωνίσατο γὰρ

καὶ ἐνίκησε λαμπρῶς ἔτι ζῶντος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Et satyrica edidit, ut Αὐλῳδοὺς Σατύρους Iophontis Comici citat Clem. Alex. Stromm. I, p. 280. errore pro tragico, quod post Casaubonum, Fabricium, Lessingium, nuper monuit Hermannus Comm. Soc. Lips. Vol. I, P. II, p. 251. Tragoediam Bacchas habet Stob. Eclogg. II, p. 10. et Grotius Excerpt. p. 876. abs qua non diversa Pentheus fabula recte visa est Heerenio ad l. c. Stob. et P. II, T. II, p. 154. Fragmentum autem inde ap. Stob. est hoc:

Ἐπίσταμαι δὲ καὶ τάδ' οὖσά περ γυνή,
Ὡς μᾶλλον ὅστις εἰδέναι τὰ τῶν θεῶν
Ζητεῖ, τοσούτῳ μᾶλλον ἧσσον εἴσεται.

Alter est *Aristo*, Sophoclis ex Sicyonia Theoride nothus, (auctore Suida v. Ἰοφῶν et Scriptore vit. Sophocl.) qui et ipse videtur tragicus fuisse. V. Diog. L. VII, 164. coll. Fabric. B. Gr. T. II, p. 287. ed. Harles. Tertius denique est *Sophocles*, *Sophoclis ex Aristone nepos*, de quo Suidas: Σοφοκλῆς, Ἀρίστωνος, υἱωνὸς δὲ τοῦ προτέρου Σοφοκλέους τοῦ πρεσβυτέρου, Ἀθηναῖος, τραγικός. ἐδίδαξε δὲ δράματα μ', οἱ δέ φασιν ια (leg. να). νίκας δε εἶλεν ζ' (leg. εἶλε ιβ'). Quod legendum dico να, Wesselingius Petitum ait fecisse *nemine iubente*: cui qui iusserit nescio: mihi Diodorus ius-

sit, qui duodecies minorem Sophoclem vicisse tradit: non potest igitur tantum undecim fabulas scripsisse. Eodem duce pro εἶλεν ζ' scripsi εἶλε ιβ', a quo facilis ad illud lapsus erat; nam apud Diodorum disertis verbis duodenarius numerus legitur, XIV, 53. sub Ol. XCV, 4. Ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις Σοφοκλῆς ὁ Σοφοκλέους τραγῳδίαν διδάσκειν ἤρξατο καὶ νίκας ἔσχε δυοκαίδεκα. Unde habet Scaliger in Ol. descr. Est is poeta non ignobilis, ut avi deliciae ac toties victor tam antiquis temporibus. Ipse Aeschylus vicit tantum tredecies, ad summum duodevicies, teste vitae Auctore; Sophocles maior secundum Diodorum duodevicies, secundum Carystium vicies, secundum Suidam quater et vicies; Euripides auctoribus Varrone, Moschopulo, Suida quinquies, secundum Thom. quindecies, quos non apte conciliat Lessingius vit. Sophocl. p. 384. praeeunte Baylio. Filium Sophoclis maioris facere Diodorus videtur, nisi Σοφοκλέους avi nomen voluit esse: illud Io. Meursio probabile visum est ob tempora. In quo fallitur egregie. Ol. XCV, 4. Sophoclis nepos natus esse poterat vel quinquaginta annos. Ab avo valde dilectus est. Scriptor vitae: Ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικοστράτης Ἰοφῶντα, ἐκ δὲ Θεωρίδος Σικυωνίας Ἀρίστωνα, τὸν ἐκ τούτου γενόμενον παῖδα Σοφοκλέα τοὔνομα πλέον ἔστεργεν. Et inge-

Ἠριγόνη.
Θάμυρις.
Θησεύς.
Θυέστης Σικυώνιος.
Θυέστης δεύτερος.
Ἴναχος.
Ἰνώ.
Ἰξίων.
Ἰοβάτης.
Ἰόλαος.
Ἱππόνοος.
Ἶρις.
Ἰφιγενεία.
Ἴφικλος.
Ἰχνευταί.
Ἴων.
Καμίκιοι.
Κηδαλίων.
Κλυταίμνηστρα.
Κολχίδες.
Κρίσις.
Κωφοί.
Λάκαιναι.
Λαοκόων.
Λήμνιαι.
Μελέαγρος.
Ναύπλιος.
Ναυσικάα.
Νιόβη.
Ξοανηφόροι.
Φαίακες.
Φαίδρα.
Φιλοκτήτης ἐν Λήμνῳ.
Φιλοκτήτης ἐν Τροίᾳ.
Ὀδυσσεὺς μαινόμενος.
Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ.
Οἰδίπους ὁ Τύραννος.
Οἰνόμαος.
Παλαμήδης.
Πανδώρα.
Πελίας.
Περίλαος.
Πηλεύς.
Ποιμένες.
Πολύϊδος.
Πολυξένη.
Πρίαμος.
Πρόκρις.
Ῥιζοτόμοι.
Σαλμωνεύς.
Σίνων.
Σίσυφος.
Σκύθαι.
Σκῦριαι.
Τεῦκρος.
Τηρεύς.
Τραχίνιαι.
Τριπτόλεμος.
Τρῳϊλος.
Τυμπανισταί.
Τυνδάρεως.
Τυρώ.
Ὕβρις.
Ὑδροφόροι.
Φινεύς.
Φοῖνιξ.
Φρῖξος.
Φρύγες.

In hoc recensu agendo secutus sum *Brunckium*, abs quo in quibus discesserim, breviter exponam. De Ζωστῆρσι paullo post dicetur: de *Clytaemnestra* dubitatur ab eodem: Struvius de Sophocl. Clytaemn. §. 2. hanc et Aegisthum unam eandemque fabulam putat esse: neuter tamen rationibus utitur talibus, eam ut possis numero eximere. De *Dionysiaco* dicetur capite sequenti: pro *Iride* Schweighaeuserus ad Athen. T. IV, p. 37. mavult Ἔριν: ego tutius existimo a Brunckii partibus stare. Sed nemine praeeunte ex indice Sophoclearum fabularum delevi *Prometheum*, quod sola nititur auctoritate Schol. Pindar. Pyth. V, 35. Σοφοκλῆς δὲ ἐν τῷ Προμηθεῖ, τοῦ Προμηθέως, θέλων λέγειν τῆς φρονήσεως ἀντέχεσθαι καὶ μὴ τῆς μεταμελείας: ubi recentioris librarii errore refertur ad Sophoclem, quod Aeschyli est Prometh. vinct. vs. 85.

> Ψευδωνύμως σὲ δαίμονες Προμηθέα
> Καλοῦσιν· αὐτὸν γὰρ σὲ δεῖ Προμηθέως,
> Ὅτῳ τρόπῳ τῆσδ' ἐκκυλισθήσει τύχης.

Deinde ex his editis tantum eas numeravi, quarum altera editio pro nova fabula stare possit: quodsi et alias numeraveris, ut Lemnias, Phineum, Tyronem duplices, ne Iphiclum nunc appellem, erunt novem et centum. Harum igitur pars maioris Sophoclis est, pars

minoris ceterorumque Sophocleorum poetarum: cuius quaeque sit, indagandum erit; ac similiter agendum foret, etiamsi nihil quidquam neque de minori Sophoclis maioris fabularum numero neque de altero Sophocle nossemus, nisi quod XVII spuriae antiquitus inter Sophoclea habitae essent, quae quominus iis, quarum nomina habemus, intermiscerentur, haud certe grammaticorum ac scholiastarum impediebat diligentia. Verum quis est, qui in tam minutis fragmentis auctores, praesertim sibi similes, ut hic est, accurate dignoscere queat? Traditur hoc de uno, quod sciam, Ruhnkenio, de quo Wyttenbachius in Vit. Ruhnk. p. 220. *Hanc facultatem*, inquit, *ita tenuit Ruhnkenius, ita scriptoris cuiusque formam rationemque animo perceptam impressamque habuit, ut non modo spuria quaevis primo obtutu animadverteret, sed multis multorum scriptorum locis sine illorum nomine deinceps positis, veluti in Stobaeo, sentiret continuo, cuius scriptoris quisque locus esset, et in Anthologia epigramma quodcunque auctoris nomine omisso extaret, semel eo lecto statim intelligeret, non solum qua ex aetate, antiqua, media, an postrema, sed quod longe maius, cuius poetae esset, ex eo adeo genere, cuius nonnisi paucissima supersunt epigrammata, quorum proinde quod cuiusque sit, difficillimum*

est iudicare. Credat Iudaeus Apella, ne quid dicam acerbius. Peccavit Ruhnkenius in assignandis suo auctori totis operibus: vide modo Hermannum in Orphicis p. 680. quis vere dixisse de fragmentis et epigrammatis laudatorem putet? Si ea fuit eximii sane viri sagacitas, cur, ut hoc unum afferam, in Nott. ad Tim. Lex. p. 9. Sophocli fragmentum tribuit, quod aut Aeschyli est aut Euripidis? V. Valck. Diatr. p. 11. Scilicet ut demonstraret, fuisse Sophoclem inter et Platonem aliquam simultatem, de qua quid censendum sit, dixi ad Plat. Legg. p. 182. contra Valckenarium locorum aliquot Platonicorum immemorem: eaque inde colligitur potissimum, quod Plato in Theage et Republica Euripidi tribuit versum, Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ, qui tamen Sophoclis fuerit ex Aiace Locro. Loris dignus et furca Plato fuisset, si sciens hoc commisisset: sed haec pusillanima malignitas haud cadit in magnanimum Platonem, nec in quemquam, opinor, cadit liberaliter educatum hominem, nisi forte in grammaticum. Quid quod praeter Rep. I, p. 329. B. honestissima Sophoclis mentio fit Phaedr. p. 268. C. p. 269. A? Quid quod cum Plato expressit adeo imitando Theaetet. p. 191. A? Quid quod una cum Sophocle Aeschylus reprehenditur Rep. II, p. 380. A? Num

vero ratione reprehendere et invidiose carpere idem est? Quin nonnulla, quae in hanc rem dicuntur, plane conficta sunt, ut quod in Critone Platonem invehi in Sophoclem falso tradit Athenaeus XI, p. 507. D. Illud enim in meam rem haud proferam, quod Bullialdus ad Theon. Smyrn. p. 196. etiam Rep. VII, p. 522. D. benevole respici Sophoclem putat: nam hoc consideratis Euripideae Palamedae fragmentis valde fit incertum. Quae quum ita sint, ne Ruhnkenium quidem credo perfecturum fuisse, quod omnino superat humanas vires, ut ex sola poetae indole exiguarum reliquiarum auctorem agnoscas, eumque ab simili eiusdem aetatis ac sectae scriptore distinguas. Quapropter alia via quaerenda fuit, eaque ingressus efficiam hoc, ut nonnulla dramata, quae certe maioris sint Sophoclis, segregentur ab iis, quae cui tribui debeant, dubium relinquendum est.

Caput X.

Satyrica dramata in Sophocleis quae, numque omnia indubitata.

Primum consentaneum est satyricas fabulas Sophoclem non multas edidisse, propterea quod subinde singula produxit dramata. Aeschylus, qui, quum ante Sophoclem omnia docuerit, nihil edidit nisi tetralogias, satyrica scripsit haud plura quindecim. De Pratina Suidas: Ποιητὴς τραγῳδίας, ὃς πρῶτος ἔγραψε Σατύρους, καὶ δράματα μὲν ἐπεδείξατο ν', ὧν σατυρικὰ λβ'. Posterior numerus corruptus, iudice etiam Casaubono de satyr. poes. I, 5. p. 167. Leg. ὧν σατυρικὰ ιβ'. Euripidis pauciora sunt, Autolycus, Cyclops, Eurystheus, Messores, Sciron, Sisyphus, Syleus: de postremis v. Valck. Diatr. p. 208. p. 204. et octo omnino scripsit teste Thom. M. Aeschylo πρωτεῖα dedit Menedemus Eretriensis ap. Diog. L. II, 133. post hunc celeberrimi Achaeus, Pratinas, Aristias: (conf. Hesych. Illustr. in Menedemo, Pausan. II, 13.) sed Sophocles in

hoc neque primus neque secundus, neque adeo tertius. Iam quum et principes in hoc genere tam paucas ediderint satyricas, et qui semper certarent tetralogiis, num probabile est, Sophoclem multas produxisse? quem et tetralogias rarius edidisse scimus, nec credimus ita ingenium suum ignorasse, ut operam consumeret in ea re, in qua non excelleret. Celeberrimus quidem Eichstadius de dram. comico-satyr. p. 29. (coll. Additamm.) etiam singillatim edita dramata satyrica dicit esse, disparem numerum tragicarum trilogiarum et satyricorum dramatum in Pratina et Aeschylo praetendens. Nihil tamen, ingenue fateor, haec me ratio movet, quum Pratineorum satyricorum numerus ita probabiliter emendari queat: nam de Aeschylo non est quod plura dicam. Et iamiam video huius viri mihi maxime faventis sententiam ne posse quidem, si accurate agatur, sic explicari, ut Sophocles (immo et Pratinas) singularia satyrica credatur produxisse, quoniam ipse p. 83. non modo concedit, sed affirmat, *tragicam satyricen* non sustinuisse in scenam prodire, *nisi consociatam ad publicam communitatem cum tragoediis*: poetarum vero apud veteres Atticos nullus utramque scenicam poesin exercuit, et tragicam et comicam, quod vel ex Plat. Sympos. sub fin. coniicere licet: itaque

numquam singillatim satyricum drama Sophocles docere potuit. Nihilominus tot in Sophocleis reliquiis satyrica dramata sunt, vix ut tum, ubi nihil nisi tetralogias docuisset ac tredecim et centum eius essent fabulae, omnia possent pro genuinis haberi. Sunt enim, numeratis repetitis editionibus, non pauciora quam triginta. Quorum hic est index.

Αἰχμαλώτιδες.
Ἀλωάδαι.
Ἄμυκος.
Ἀμφιάραος.
Ἀνδρομέδα.
Ἡρακλῆς ἐπὶ Ταινάρῳ.
Ἴναχος.
Ἶρις.
Ἴφικλος πρότερος.
Ἴφικλος δεύτερος.
Ἰχνευταὶ Σάτυροι.
Κηδαλίων.
Κρίσις.
Κωφοὶ Σάτυροι.
Κῶμος.
Ἀχαιῶν σύλλογος.
Ἀχιλλέως ἐρασταί.
Διονυσιακός.
Ἑλένης ἀπαίτησις.
Ζωστῆρες.
Ναυσικά α.
Πανδώρα.
Σαλμωνεύς.
Τριπτόλεμος.
Τρῳΐλος.
Τυμπανισταί.
Ὕβρις.
Φαίακες.
Φινεὺς πρότερος.
Φινεὺς δεύτερος.

Harum fabularum plurimae absque dubitatione fuere satyricae, de quibus quidem nihil dicetur amplius: aliae requirunt accuratiorem tractationem. De *Captivis* verissime iudicavit Brunckius; ex proverbiorum frequentissimo usu conspicitur satyrica natura. Idem dixit de Ἀχαιῶν συλλόγῳ, ex qua consideres modo

appositum infra fragmentum, et praeterea hoc:

> Φερέτε, μασσέτω τις, ἐγχείτω βαθύν
> Κρατῆρ᾽· ἀνὴρ δ᾽ οὐδείς, πρὶν ἂν φάγῃ, καλῶς
> Ὁμοῖα καὶ βοῦς ἐργάτης ἐργάζεται.

Dionysiacum, in quo nomine iam Gatakerus erravit, recte mirante Fabricio, non esse nomen dramatis satyrici temere Brunckius iudicat Lex. Sophocl. v. Θωχθείς: contrarium enim appareret planissime e Lex. Ms. ap. Valck. Diatr. p. 179. et Lex. Sophocl. Brunck. v. ἄλυπον, item Hesych. v. Θωχθείς, de quo Hermannus dixit Comm. Soc. Lips. Vol. I, P. II, p. 247. ubi et *Helenae repetitionem* recte satyricam iudicat fuisse, testibus fragmentis et Aristidis in Apologia verbis his: Αὐτὴν ἐὰν ἴδωσι τὴν Ἑλένην, Ἑλένην λέγω θεράπαιναν, ὁποίαν ἐποίησε Μένανδρος τὴν Φρυγίαν τῷ ὄντι, παιδιὰν ἀποφαίνουσι τοὺς Σατύρους τοῦ Σοφοκλέους, quae male ad Κωφοὺς Σατύρους retulit Casaubonus l. c. p. 180. Ζωστήρων nomen loco nititur Pollucis VII, 68. ubi tamen in indice pro Ζωστῆρσιν corrigitur Ζωστρίσιν: Brunckius de hoc titulo dubitationem movit, et tragoediae sane non convenit; quid tamen obstet, quominus satyrica fabula habeatur, equidem haud video. *Inachum* satyricam esse vidit Hemsterh.

ad Plut. Aristoph. p. 248. De *Iphiclo* iudico sic. Schol. Oedip. Col. vs. 791. citat Sophoclem ἐν Ἰφικλείᾳ, quod procul dubio recte Meursius mutavit ἐν Ἰφικλεῖ ά, adeo ut necesse sit, fuisse etiam Ἰφικλέα β'; atque ad Iphiclem (minus recte ad Oïclem) Brunckius refert haec Pollucis X, 39. καὶ τύλη δὲ παρ' Εὐπόλιδί ἐστιν ἐν τοῖς Κόλαξι καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τῷ Ἰοκλεῖ (leg. Ἰφικλεῖ) λέγοντι· Ἀλλὰ καὶ λινορράφῃ Τυλεῖα, quod fragmentum satyricam conditionem satis ostendit, praesertim si Eupolidi compositum reputes esse. Nempe ne tu Brunckio credas hunc Iphiclem esse filium Amphitryonis et Alcmenae; significatur potius Iphiclus Clymenae, cuius nomen pro Iphiclis reponendum censeo: argumentum autem satyricae fabulae mirum quantum consentaneum est in huius historia, quam narrant Apollodorus I, 9, 12. et Schol. Theocr. III, 43. *Nausicaam* recte huc retulerunt praeter alios Casaubonus in Athenaeum, Lessingius Vit. Sophocl. p. 374. Valckenarius Diatr. p. 209. ostendente et altera inscriptione Πλύντριαι, et argumento petito ex Odysseae sexto; nam et hic tum pila luditur, tum vestes aqua purgantur, ut apud Homerum. *Pandoram* miror habitam non esse pro satyrica, quum in id nasum impingant matulae et pocula lutumque manibus depsendum, atque ipse titulus, Παν-

δώρα ἢ Σφυροκόποι. Athen. XI, p. 476. D. inde affert:

> Καὶ πλῆρες ἐκπιών τι χρύσεον κέρας
> Τρίψει γέμοντα μαλθακῆς ὑπ' ὠλένης.

Pollux X, 44. τοῖς δὲ δεσπόταις τῷ μὲν ἀνδρὶ καὶ λάσανα ἀναγκαῖα καὶ ἀμὶς, ἣν καὶ Σοφοκλῆς ἐν Πανδώρᾳ ἐνουρήθραν καλεῖ. Lex. Ms. ap. Brunck. in Lex. Sophocl. Ἀμὶς, σταμνίον, ᾧ ἐνουροῦσι. Σοφοκλῆς δὲ ἐν Πανδώρᾳ ἐνούρηθρον καλεῖ. Cf. Ἀχαιῶν σύλλογον. Schol. Ms. Hippocratis ap. Foes. Oecon. Hippocr. Μέμνηται δὲ τῆς λέξεως καὶ Σοφοκλῆς ἐν Πανδώρᾳ λέγων· Καὶ πρῶτον ἄρχου πηλὸν ὀργάζειν χεροῖν. Sic Ruhnk. ad Tim. Lex. p. 180. Toupius Emendd. in Suid. T. IV, p. 413. corrigit πρῶτον ἔργον. Alii aliter *Tympanistas* addidi ex meo arbitrio: neque enim tragoediae hic potest titulus esse, qui nec ab argumento nec a choro posset desumptus esse, sed Τυμπανισταὶ Σάτυροι inscriptio erat; ut Iophontis Αὐλῳδοὶ Σάτυροι. De Ὕβρει ut satyrica v. Schweighaeuser. ad Athen. T. IV, p. 50. Nec quomodo *Phaeaces* tragoediae materiam potuerint praebere video; immo satyrica indoles elucet e reliquiis. Lex. Ms. ap. Brunck. Lex. Sophocl. Ἀρτύματα, οὐχ ἡδύσματα, Σοφοκλῆς Φαίαξιν. Locum servavit Athen. II, p. 67. F. Ὅτι ἀρτύματα εὕρηται παρὰ Σοφοκλεῖ· Καὶ

βορᾶς ἀρτύματα. Idem ibidem: Τὸ δὲ ῥῆμα κεῖται παρὰ Σοφοκλεῖ· Ἐγὼ μάγειρος ἀρτύσω σοφῶς. Hoc Brunckius censet ex comoedia esse, Valckenarius Sophoclis nomen corrigendo abigit, neuter verum vidit, sed ex eadem satyrica fabula Phaeacibus, unde et praegressum habuit, hoc Athenaeus repetiit: nemini melius quam Phaeacibus coquus convenit. Horum igitur dramatum plurima satyricum argumentum ipsis sententiis produnt, quod sufficit in Sophocle, qui tragicam castitatem servat ubivis, quum Aeschylus, veluti Graecorum Shakspearius, uno et altero loco tragoediis immisceat talia, quae apud comicum quaeras potius, ut Choeph. 745 sqq. quamvis nullo pretio vellem abesse eum sermonem. Sed pars harum fabularum Sophocli maiori certissime tribuenda est, pars Iophontis, pars minoris Sophoclis videtur fuisse, cui nescio an nunc quadraginta dramata, nunc quinquaginta unum adscripta sint propter hoc ipsum, quod satyrica omitterentur modo, modo numerarentur. At de singulis fabulis nihil audeo decernere: de una Ἀχαιῶν συλλόγῳ, quod licet, dicam. Aeschyli locus est apud Athenaeum I, p. 17. C.

Ὅδ' ἐστὶν, ὅς ποτ' ἀμφ' ἐμοὶ βέλος
Γελωτοποιὸν, τὴν κάκοσμον οὐράνην

Ἐρρίψεν οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
Πληγεῖσ' ἐναυάγησεν ὀστρακουμένη,
Χωρὶς μυρηρῶν τευχέων πνέουσ' ἐμοί.

Huc pertinent verba Pollucis X, 44. Καὶ Αἰσχύλος οὐράνην. In ea satyrica, ex qua haec sunt, Graeci heroes ad Troiam orta in convivio, credo, litigatione, matulis sese petunt; esse autem ex *Argivis* haec conieci cap. III, p. 30. Idem argumentum fuit Ἀχαιῶν συλλόγου, satyricae Sophocleae; immo hic ipse locus paucis vocibus immutatis in Sophocleum drama translatus est, unde ap. Athen. l. c. ex Sophoclis Ἀχαιῶν συλλόγῳ haec citata reperiuntur:

Ἀλλ' ἀμφὶ θυμῷ τὴν κάκοσμον οὐράνην
Ἐρρίψεν οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
Κατάγνυται τὸ τεῦχος οὐ μύρου πνέον.
Ἐδειματούμην δ' οὐ φίλης ὀσμῆς ὕπο.

Igitur in similitudine et argumenti et insignis huius loci nata est suspicio, Ἀχαιῶν σύλλογον nihil esse nisi interpolatam Aeschyli fabulam, factam ante legem a Lycurgo latam, de quo v. cap. I. Iam ea diasceue num a maiore Sophocle profecta sit necne, dubites: nolo tamen huic audacius plane abiudicare, quum plura, licet leviora, ex Aeschylo Sophocles imitatus sit, quod partim notum est, partim

infra apparebit. Nunc satis habeo rem inchoasse, et eam mihi laudem duco, non longius progressum esse quam in eos, ni fallor, fines,

Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Caput XI.

Quaenam fabulae Sophoclis maioris certe sint. De earum temporibus quaedam. Epilogus.

Iam si quaeratur, num liceat omnino aliquam saltem partem genuinorum Sophoclis Sophili dramatum ex eo numero seligere, equidem hoc et affirmo, et qua perficiam, hancce viam indico. Opus est aut teste diserto tempus fabulae designante, aut narratione aliqua de quodam dramate, quae ad maioris Sophoclis vitam pertineat, aut imitatione sive irrisione cuiusdam tragoediae sive satyricae fabulae apud scriptorem obvia, qui ante Ol. XCV, 4. hoc est, antequam minor Sophocles publice doceret, sua composuerit. Quae quidem nullo addito poetae nomine apud talem auctorem reperiantur, possis etiam ad

Iophontem referre, quoniam hic simul cum patre docuit: hoc tamen magnam vim habere non videtur. Erunt alii qui credulitatem meam accusent, quum traditione levi utor in adiudicandis Sophocli maiori dramatis, qui fabulis fabulas vindicari dicant, anilem anilium historiolarum religionem vocent: quibus ego non habeo quod opponam, quam ut vicissim damnem eorum levitatem, qui grandi supercilio ubivis fabulas vident et visas continuo damnant, neque in earum origines altius indagant, etsi ne ipsi quidem negare possunt, nullam temere fabellam esse, quin primis initiis vera fuerit, et tempore eam, qua est, vanitatem collegerit: id quod in narratiunculis de Pythagora et Platone inprimis tenendum est, nedum in tragicis, ubi veritas magis etiam agnoscitur. Ac saepe rationes, propter quas aliqua traditio suspecta habetur, rebus probe perspectis evanescunt; ut Gellii illud N. A. III, 3. de Plautinis comoediis in pistrino scriptis auctore Varrone, contradicere quidem ei narrationi videtur, quod Varro eas in genuinis non numeraverit; sed solvitur hoc, quum cogites, Varronem non simpliciter negasse esse eas Plautinas, sed habuisse pro fabulis antiquiorum poetarum a Plauto in pistrino interpolatis. Postremo, ne diutius in alienis commorer, ex integris Sophoclis

operibus ea, quae satis certis argumentis extrinsecus petitis defendi nequeant, cum concessis comparata si ostenderint eundem colorem indolemque, ut ab uno non profecta esse non possint, haec quoque erunt pro genuinis habenda. Ita reperi bonam partem certe genuinorum dramatum: cetera inter se habent spuria multa: quae tamen sint, non liquet. Illorum igitur index est hic.

Fabulae quae supersunt omnes.

Οἰδίπους ὁ Τύραννος.
Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ.
Ἠλέκτρα.
Ἀντιγόνη.
Τραχίνιαι.
Αἴας μαστιγοφόρος.
Φιλοκτήτης ἐν Λήμνῳ.

Deperditae tragoediae.

Ἀθάμας πρότερος.
Ἀθάμας δεύτερος.
Θάμυρις.
Ἰόλαος.
Λαοκόων.
Οἰνόμαος.
Πηλεύς.
Τεῦκρος.
Τηρεύς.
Τυρὼ προτέρα.
Τυρὼ δευτέρα.

Satyricae deperditae.

Ἴναχος.
Ναυσικάα.
Τριπτόλεμος.

Minus certa argumenta sunt in his:

Ἐπίγονοι.
Λάκαιναι.
Νιόβη.
Φινεὺς σατυρικὸς πρότερος.
Φινεὺς σατυρικὸς δεύτερος.

Iam de singulis dicatur singillatim. De *Oedipo Tyranno*, tragicae poeseos summo flore, num censet quisquam esse disserendum? At in eo Sophoclem victum a Philocle tradunt Aristides T. II, p. 422. et Argumenti scriptor. De *Coloneo* aeque certa res. Argum. Oedip. Col. τὸ δὲ δρᾶμα τῶν θαυμαστῶν· ὃ καὶ ἤδη γεγηρακὼς ὁ Σοφοκλῆς ἐποίησε χαριζόμενος οὐ μόνον τῇ πατρίδι ἀλλὰ καὶ τῷ ἑαυτοῦ δήμῳ. Quo pertinet nobilis lis inter ipsum et filium Iophontem, quam inepte narrant Scriptor Vit. Sophocl. et Schol. Aristoph. Ran. 73. melius Cicero de senect. cap. 7. Lucianus Macrob. c. 24. T. III, p. 226. ed. Reitz. et Plutarchus An seni sit resp. gerenda. Nec obest quod de Iophonte post patris obitum Oedipum Coloneum publice praedicante narrat Valer. Max. VIII, 7, ext. 12. quodque de statua ei posita ap. Script. vit. legitur (Ἱδρύθη δὲ ὑπὸ Ἰοφῶντος τοῦ υἱοῦ μετὰ τὴν τελευτὴν, quod Bothius absurde vertit): potest enim in gratiam cum eo rediisse; ut olim a patre diligebatur, quum ab eodem adiuvaretur in scribendis tragoediis; potuit etiam fabulas patris magnopere filius laudare, quod rem familiarem dissiparet, iustissima de causa aegre ferre. Cf. Lessing. vit. Sophocl. p. 411. Et quid obstat, quominus, qui paucis ante diebus desipienti videretur desipere, is egregie sapere resi-

piscenti videretur? Novi ego nostra aetate scenicum poetam et duos philosophos de uno eodemque homine, sed eo vere furioso, intra septem dierum spatium sensisse tam diversa, ut primum, quum ipsorum curae traditus esset, in eo divinam mentem emersisse, at paullo post eundem mente captum pronunciarent. Et vestigia senectutis in Coloneo Oedipo agnoscimus et nos cum Iacobsio Additt. ad Sulzer. Theor. T. IV, P. I, p. 146. *Aiacem flagelliferum* expressit adeo Plato Theaetet. p. 191. A, quod ille certe non facturus fuisset in alio quam maiore Sophocle; et acta fabula ante Philoctetam, quod nisi e Philoct. vs. 412. at certe e vss. 1047 — 1057. colligitur, ubi Sophocleae Aiacis exitus respicitur manifeste. Sed *Philocteta in Lemno* edita Glaucippo Archonte Ol. XCII, 3. a Sophocle, qui primus fuit renunciatus sec. Argum. Philoctet. *Antigona* edita circiter Ol. LXXXIV, 3. v. Cap. VIII. Sic restant ex superstitibus *Electra* et *Trachiniae*, pro quibus diserta testimonia non reperio, sed tantam cum ceteris similitudinem habent, ut nefas esset de auctore dubitare. Quis enim ambigat de Electra, quam ipsi praestantissimae Antigonae merito Dioscorides iunxit in epigrammate:

v. Lobeck Aj. p. 257

Ἦδ' ἐνὶ χερσὶν
Κούριμος ἐκ ποίης ἥδε διδασκαλίης;

Εἴτε σοι Ἀντιγόνην εἰπεῖν φίλον, οὐκ ἂν ἁμάρτοις,
Εἴτε καὶ Ἠλέκτραν· ἀμφότεραι γὰρ ἄκρον.

Multum profecto iuvaremur hac in re, si melius nobis prospectum esset de temporibus fabularum Sophoclis: nunc vel minima curiose colligenda sunt, quae promovere eorum cognitionem possint. Quapropter non negligendum, quod ap. Athen. X, p. 453. Clearchus tradidit. Postquam *Callias* Atheniensis, paullo Strattide antiquior, aequali Aristophanis, grammaticam tragoediam edidit, ei obsecutus in Medea Euripides cantica ad illius normam formavit: quo audito, Clearchus ait, Sophocles in Oedipo Calliae illud imitatus est, ut syllabam in fine trimetri elideret. Ita optime rem explicuit Hermannus in ea, quam cap. VII. laudavi, dissertatione p. X sqq. Exempla sunt in Oedipo Tyranno vss. 29. 332. 785. 1184. 1224. Itaque *Oedipus Rex* post Euripidis Medeam edita, hoc est, post Ol. LXXXVII, 1. Iam *eam elisionem Athenaeo auctore abiudicare debemus ab omnibus tragicorum fabulis, quae ante Sophoclis Oedipum editae sunt.* (Hermann. l. c. p. XVI.) Atqui haec elisio reperitur *Electrae* vs. 1017. itaque ea recentior Oedipo Tyr. id quod aliunde novimus de *Coloneo Oedipo*, in qua idem habes

vss. 16. 1164. Notes autem in Oedipo Rege, ubi primum poeta Calliam secutus est, pluries eam elisionem Sophoclem posuisse, quum novitate placeret, postea remisisse paullatim, neque in Aiace usum neque in Philocteta, licet postea doctis. Unus Sophoclis locus superest ab Hermanno non citatus *Antigonae* vs. 1031.

> Εὖ σοι φρονήσας εὖ λέγω· τὸ μανθάνειν δ'
> Ἥδιστον εὖ λέγοντος, εἰ κέρδος φέρει.

Ita editiones, quotquot vidi, excepta, quam nihil moramur, Bothiana: et hic quoque locus firmat Hermanni regulam, ibi potissimum syllabam elidi in fine senarii, ubi *proxime praegressa sit interpunctio, quae quod pausam in pronunciando fieri iubet, ea quae deinde sequuntur arctius coniungi postulat* (l. l. p. XVII.). Tamen Antigona multo ante Oedipum acta: superest igitur, ut iterum edita sit, quo et Satyrus ducit in Vit. Sophocl. eam publice sive lectitatam sive actam causam mortis poetae tradens fuisse. Sed et *Euripidis Iphigenia in Tauris*, ut hoc obiter moneam, edita post illud tempus propter vs. 961. qui locus unicus est in Euripide. (Hermann. l. l. p. X.) Invenitur quidem etiam in Iphigeniae Auliden-sis vs. 930. si cum ed. Ald. et Cod. C. scribas πεισόμεθ', eius vocis loco, quae nunc ibi ha-

betur πείσομαι; at recte legitur πείσομαι: nam in hac elisione ultima versus syllaba non potest anceps esse, sed longa est necessario. Eandem elisionis rationem tenuit *Xenarchus Comicus* ap. Athen. XIII, p. 569. C.

> Δεδιότα τ' ἐν τῇ χειρὶ τὴν ψυχὴν ἔχονθ',
> Ἃς πῶς ποτ', οὖ δέσποινα ποντία Κύπρι.

Venio iam ad deperditas Sophoclis tragoedias. Posterioris *Athamantis* mentio est in Nubibus Aristophanis vs. 256. ubi v. Schol. itaque genuina utraque: acta enim Nubes Ol. LXXXIX, 1. Isarcho Archonte, et quae in ea emendavit, certe multo ante Ol. XCV, 4. facta sunt, ut Hermannus ostendit in Praefatione. In *Thamyri* Sophocles ipse vatis egit partes. Athen. I, p. 20. F. de Sophocle: Καὶ τὸν Θάμυριν διδάσκων αὐτὸς ἐκιθάρισεν. Vit. Sophocl. Φασὶ δὲ ὅτι καὶ κιθάραν ἀναλαβὼν ἐν μόνῳ τῷ Θαμύριδί ποτε ἐκιθάρισεν· ὅθεν καὶ ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ μετὰ κιθάρας αὐτὸν γεγράφθαι. Cf. Lessing. vit. Sophocl. p. 360. *Iolaus* carpitur ab Aristophane Equitum vs. 496. actae Ol. LXXXVIII, 4. Stratocle Archonte sec. Argum. Eqq. Cf. Schol. ad l. c. *Laocoontem* Aristophanes respicit Ranis vs. 678. acta Ol. XCIII, 3. Callia magistratu: *Oenomaum* Avium vs. 1337. (ubi v. Schol.) actae Ol. XCI, 2. Chabria Archonte sec. Argum. Av.

Peleus, si scholiis fides, deridetur Eqq. vs. 1098. Av. vs. 852. 858: utraque vero haec comoedia mature edita. *Teucrum* respexit Nub. vs. 583. ubi v. Schol. *Tereum*, quae ante Philoclis fabulam cognominem scripta est, spectat Av. 100. (cf. Schol. vs. 280.) *Tyronem* Ran. 366. Av. 276. et hic quidem secundam, item vss. 138, 139. Lysistratae (ubi v. Schol.) actae Ol. XCII, 4. Archonte Diocle. V. Petit. Misc. I, 12. et Musgrav. Chronol. scenic. h. a. Hae igitur tragoediae omnes actae ante Ol. XCV, 4. ideoque sunt genuinae. Postremo satyricam *Inachum* praeter Plut. 807. (ubi v. Schol.) et Ecclesiazus. 80. (ubi v. ead.) irridet Aristophanes Avium 1203. ubi v. Schol. coll. Böttigero de Fur. person. p. 123. itaque et haec maioris Sophoclis est, non propter Ecclesiazusas quidem actam circiter Ol. XCVI, 4. v. Petit. Misc. I, 15. Palmer. Exercitt. p. 776. sed propter Avium versum. *Nausicaam* ipse Sophocles egit in satyrica cognomine. Athen. l. c. Ἄκρως δὲ ἐσφαίρισεν, ὅτε τὴν Ναυσικάαν καθῆκε, unde habet Eustath. ad Odyss. Z, p. 250. 28. Postremo de *Triptolemo* iam explicui. Superest, ut de iis fabulis agatur, in quibus minus certae auctoritatis testes habemus. *Epigonos* egit Andronicus tragoedus, teste Athenaeo XIII, p. 584. ubi Sophoclis fabulam, non Aeschyli intelligi non sine verisimilitudine Brunckius

contendit. Vixit ille cum Gnathaena meretricula, quae est aequalis Phrynae, Chaerephonti, Diphilo Comico. Potuit igitur acta esse etiam post Ol. XCV, 4. Strabonis locus quidam est hic: *Τὴν δὲ Λὰν οἱ Διόσκουροί ποτε ἐκ πολιορκίας ἐλεῖν ἱστοροῦνται, ἀφ' οὗ δὴ Λαπέρσαι προσηγορεύθησαν. καὶ Σοφοκλῆς λέγει που·*

Νὴ τὼ Λαπέρσα, νὴ τὸν Εὐρώταν τρίτον,
Νὴ τοὺς ἐν Ἄργει καὶ κατὰ Σπάρτην θεούς.

Haec ad *Lacaenas* pertinere probabiliter putat Meursius: iam vero minorem Sophoclem legimus negasse divinitatem Castoris et Pollucis, quae tamen hic agnosci videtur, quamquam ne hoc quidem plane apertum: deinde, etiamsi illud statuatur, tamen inde non necessario colligitur, esse locum maioris Sophoclis, quoniam minor in aliis dramatis negare, in aliis affirmare poterat. *Nioben* actam ab Oeagro tragoedo Aristophanes memorat Vesp. 577. sed notat Schol. ambiguum esse utrius significetur tragoedia, Aeschyli an Sophoclis. Ceterum Vespae acta Ol. LXXXIX, 2. Aminia magistratu. V. Argum. *Phineus* nescio utra derisa Pluti vs. 635. Plutus autem data quidem et multo prius, sed iterata Ol. XCVII, 4. V. Palmer. l. l. p. 786. et quamquam nonnulla ex priore obvia sunt in superstite, tamen po-

tissima pars posterioris est, ostendente absentia lyrici chori. Cf. Petit. Legg. Att. p. 80. Nec dicas Aristophanem non imitaturum fuisse minoris Sophoclis fabulas; immo huius poterat etiam magis, quo minus impediebat ulla religio.

Hactenus haec: nolo enim ulterius progressus in coniectando opera abuti. Nunc quemadmodum alii prologos galeatos praemittunt, equidem galeatum epilogum subiiciam ad averruncandam invidiam malignorum obtrectatorum, qui subinde solent emergere. Tota haec de Sophoclis fragmentis disputatio, quum ea sententia nitatur, quam cap. VIII. proposui, poetam post quinquagesimum sextum annum tantum dramatum numerum non fecisse, una cum hac et stat et cadit; quique hanc concesserit, omnia quae sequuntur, concedat necesse est; et vicissim, si quis eam neget, is cuncta negabit. Quam quidem sententiam ut maxime probabilem dixi, ita et reliqua mihi eandem verisimilitudinem habere videntur: argumenta omnes dubitationes removentia produxisse minime credo, licet id non singulis paginis repetito dixerim. Atque utut censeas, fatendum est, quae diximus, et inter se consentire, nec curiose quaesita sed sponte oblata esse, ut certe et proferri semel debuerint et mirum sit, cur adhuc accuratius

non fuerint tractata; immo nisi a nobis ista ventilata forent, olim procul dubio alium hoc facturum fuisse: qua in re laudem ponimus, quam nemo eripiet, maturius invenisse, quae quandocunque inventa fuissent; hac enim re proprio vocabuli sensu *promoventur* litterae. Quodsi cui summa quaestionis displicuerit, capiat inde cetera utilia, si qua obiter docuimus, ac nisi aliunde hoc didicerit, ab omni parte caute pervestigandarum rerum exemplum inde discat. Sed nihil prohibet, quominus nostra vera sint: an sint, potest ambigi. Vulgaris sententia eo potissimum auctoritatem habet, quod vulgaris est: nostra habet quo nobis, vulgaris fortasse quo aliis sese magis commendet: atqui ut nos vulgarem tanquam falsam plane convincere non possumus, ita ne nostra quidem neque ex sese neque ex alia quacunque certo refutari potest, neque ea pertinet ad futilium coniecturarum numerum. Varia nobis opponentur, quae non ignoramus: probe novimus, aliam Graecorum senectam fuisse, serenam illam et laetam et vegetam, aliam nunc nostrorum esse, gravem plerumque, tristem et enervem: probe novimus, ad summam senectutem Sophoclem tragoedias fecisse, ut propter id studium rem familiarem negligere videretur; probe novimus, Grammaticorum tabulis Alexandriae classicos

in quoque genere scriptores selectos a viliori-bus esse, quo instituto minorem Sophoclem oppressum fuisse putes; haec, inquam, et alia non ignoramus, sed quantum valeant, nec nos latet, neque opinor alios latebit. *Artis criticae est nosse, ultra quem finem progredi non liceat in vero quaerendo;* hoc summi viri praeceptum tum ipse mihi videor servasse, tum adversariis, si qui erunt, commendo ut servent in propriis sententiis examinandis. Denique non est, quod rem religioni habeam. Haud mihi conscius sum in hac causa sive tacendis iis, quae non essent in meam sententiam, sive detorquendis auctorum verbis, sive eorum fide elevanda fraudem me fecisse, aut dubitando egisse intemperantius, aut in quaerendo negligentius.

Caput XII.

Iudaei falsarii scenicis poetis versus suppo=nunt. De interpolatione sextae Platonicae epistolae.

Quaestionibus Sophocleis appendicis loco quaedam addam de sero suppositis huic poetae fragmentis ab auctoribus Iudaeis partim veteris testamenti asseclis, partim Christianis. Nam ut *Clytaemnestram* mittam, satis recentem monachi foetum, de qua dixerunt Eichstadius et Car. Lud. Struvius, aetate Alexandrinorum poetarum et litteratorum docti Iudaei, inprimis *Aristobulus*, ad augendam et populi sui famam et religionum fidem, impia magis quam pia fraude, Hebraeorum naturae insita, celeberrimis Graecorum poetarum multos versus supposuerunt, ut Aristobulus *Orpheo, Lino, Homero, Hesiodo*: qua de re accutissime egit Valckenarius de Aristob. Iud. p. V. XXXVIII. Quae pestis eo manavit, ut ipsos scenicos poetas invaderet. Fictis his fragmentis Christianae ecclesiae patres, alius ab alio

transmissa accipientes, usi posthac sunt, quo novas religiones Graecis persuaderent facilius atque eos traducerent ad suae fidei confessionem. Neque hoc Valckenarium fugit, quo nemo in his rebus omnibus acutior inveniri potest. Hic igitur l. l. §. II. Iustinum Martyra dicit primum habere *multos versus, praeter oracula Sibyllina, velut Sophoclis, Aeschyli, atque aliorum aut interpolatos absurdis emblematis, aut fictos prorsus et adulterinos;* eos tamen non ipsum fecisse patrem simplicissimum. In quo egregio Critico plane assentior; atque eam provinciam volo nunc ornare, ut spuria ista detegam argumentis apertis. Nam multi sunt homines pererudíti sed mentis et naris paullo obtusioris, qui quidquid tenere non liceat ἀπρὶξ ταῖς χερσὶ, non intelligunt: his nisi minus subtilibus rationibus os obturabitur, castigabunt nos ad modum Chr. Frid. Matthaei in Sophocl. Clytaemn. vs. 193. ubi, *Lepida sunt*, inquit, *inter eruditos capitula. Fortasse ergo ex hoc vocabulo aliquis ingeniosior et acutior criticus docebit, hanc tragoediam consutam esse ab aliquo monacho, qui hoc vocabulum apud solos LXX et N. T. repererit.* Haec ille. Ac sane lepida sunt inter doctos capitula: qualis quidem capituli insigne exemplar haud longe repetendum est. Sed venio nunc ad rem. Liber fuit *Hecataei* ne-

scio cuius *de Abramo et Aegyptiis* citatus ap. Clem. Alex. Stromm. V, p. 717. ed. Potter. quem Abderitae Hecataeo abiudicant et ab Hellenistis confictum contendunt Ios. Scaliger Epist. ad Casaubon. 115. et Rich. Bentleius Epist. ad Mill. p. 463. p. 530. ed. Lips. praeter alios. V. de hoc scripto doctissime disputantem Creuzerum nostrum Fragmm. Hist. Gr. p. 37 sqq. In eximiorum criticorum partes concessit Valck. de Aristob. Iud. p. XVIII. Nuper tamen exortus est Gallus doctissimus, Sanctocrucius in Examine critico Histt. Alex. M. p. 558. neutiquam dubitans, quin hic liber genuinus Hecataei fuerit, quod iudicium et post ea, quae Bentleius dixit, miror, et hac, quam ordior, disputatione labefactabo haud mediocriter. Nempe ex eo scripto venisse dico, quidquid spuriorum versuum nomine tragicorum a patribus circumfertur. Eius enim auctoritate Clemens et Iustinus nituntur: Σοφοκλῆς, ait ille, ὥς φησιν Ἑκαταῖος ὁ τὰς ἱστορίας συνταξάμενος ἐν τῷ κατ' Ἄβραμον καὶ τοὺς Αἰγυπτίους, ubi deinde infert hos versus, quos dabo ex Brunckiana recensione:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεός,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακράν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα καὶ νέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίαν πλανώμενοι

Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχήν,
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων ἢ χαλκέους
Ἢ χρυσοτεύκτους ἢ ἐλεφαντίνους τύπους·
Θυσίας τε τούτοις καὶ καλὰς πανηγύρεις
Νέμοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

Quos versus quoniam Bentl. ll. ll. explosit diligentissime, nolo nunc multus esse, praesertim accedente Brunckio Fragmm. Sophocl. p. 683. Possent enim plura addi de Hellenistico huius fragmenti idiomate: ut formulam *ταῖς ἀληθείαισιν* apud tragicum legere me non memini, sed apud unum Philemonem p. 364. collect. Cleric. coll. Grot. Excc. p. 777. et apud Aristaenetum ac Charitonem, cf. Dorvill. ad Charit. p. 397. ed. Lips. frequentius autem apud LXX, 2 Macc. 3, 9. *εἰ ταῖς ἀληθείαις ταῦτα οὕτως ἔχοντα τυγχάνει.* 7, 6. *καὶ ταῖς ἀληθείαις ὑφ' ἡμῖν παρακαλεῖται.* Ita et *ἀνέμων βίας* diligunt Hellenistae. Sap. 4, 4. *καὶ ἀπὸ βίας ἀνέμων ἐκριζωθήσεται.*

Post haec apud Scriptorem de Monarch. p. 38. ed. Venet. item ap. Clem. Alex. sequitur aliud fragmentum, quod ipse locus, quo positum est, ex Hecataeo esse ostendit, idque est hoc:

Ἔσται γὰρ, ἔσται κεῖνος αἰῶνος χρόνος,
Ὅταν πυρὸς γέμοντα θησαυρὸν σχάσῃ

Χρυσωπὸς αἰθὴρ, ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλόξ
Ἅπαντα τἀπίγεια καὶ μετάρσια
Φλέξει μανεῖσα.

Sequitur continuo post, apud Clem. autem est alibi:

Ἐπὰν δ' ἄρ' ἐκλίπῃ τὸ πᾶν
Φροῦδος μὲν ἔσται κυμάτων ἅπας βυθός,
Γῆ δ' ἑδράνων ἔρημος, οὐδ' ἀὴρ ἔτι
Πτερωτὰ φῦλα βαστάσει πυρούμενος·
Κἄπειτα σώσει πάνθ' ἃ πρόσθ' ἀπώλεσεν.

Haec Sophoclis non esse, cui a patribus tribuuntur, vere vidit Brunckius: nonnullae tamen certe dictiones genuinae sunt, reliqua ab Iudaeo addita. Ante haec Iustinus habet ea, quae ap. Clem. Alex. legimus Stromm. V, p. 721. *Aeschylo* ea tribuuntur, non addito tragoediae nomine, etsi in eadem pagina apud Clem. Epicharmi Politia definitur accuratius; ipsa vero sedes ex Pseudo-Hecataeo arguit ea descripta esse. Sunt haec:

Χώριζε θνητῶν τὸν θεὸν καὶ μὴ δόκει
Ὅμοιον αὐτῷ σάρκινον καθεστάναι.
Οὐκ οἶσθα δ' αὐτὸν· ποτὲ μὲν ὡς πῦρ φαί-
νεται
Ἄπλατον ὁρμῇ, ποτὲ δ' ὕδωρ, ποτὲ δὲ
γνόφος,
Καὶ θηρσὶν αὐτὸς γίγνεται παρεμφερής,
Ἀνέμῳ νεφέλῃ τε καὶ στραπῇ, βροντῇ, βροχῇ·

Ὑπηρετεῖ δ' αὐτῷ θάλασσα καὶ πέτραι,
Καὶ πᾶσα πηγὴ χὕδατος συστήματα.
Τρέμει δ' ὄρη καὶ γαῖα καὶ πελώριος
Βυθὸς θαλάσσης κὠρέων ὕψος μέγα,
Ἐπὰν ἐπιβλέψῃ γοργὸν ὄμμα δεσπότου.
Πάντα δύναται γάρ· δόξα δ' ὑψίστου θεοῦ.

Constitui versus fide Iustini, Clementis, Eusebii. Ii non modo spurii sunt, sed procul dubio ab eodem homine efficti, qui praegressos concinnavit. Hac de re suboluit paullulum Bothio, qui, ut solet, rem festinanter tetigit, multaque pro more suo temere mutavit. Ille igitur ad Aeschyl. p. 807. *Omnino haec*, inquit, *Aeschyleum colorem non habent:* nihilo tamen minus cum iis tanquam cum maxime genuinis agit, ut vs. 4. suo lubitu corrigit *ποτὲ γνόφος*, quod licet ap. Euseb. sit, praefero tamen quod Bothio minus eleganter dictum videtur *ποτὲ δὲ γνόφος*, in quo displicet anapaestus, qui facillime evitari poterat: anapaestus enim est, quum *γν* soleat in diverbio positionem facere. V. Buttmanni nostri Grammatic. p. 270. ed. III. Nempe anapaestos imperitus homo diligit, ut continuo post dixit, *ἀνέμῳ νεφέλη τε*, credo ut vim venti describeret, quum dicere potuisset *ἀνέμῳ νέφει τε*, quod Grotius ex Iustino restituit nimis, opinor, liberaliter: videtur enim correctoris esse. Similiter Bo-

thius p. αὐτὸς correxit αὖθις: *vulgata legebatur corrupte*, ait, *nam vi caret.* Quasi vero Aeschylum haberemus: nam quid Iudaeo est vi opus? Deinde scripsit:

Ἀνέμῳ νέφει τε καὶ στραπῇ βροτοφθόρῳ!

duos autem proximos versus delevit, tamquam *ex nescio quo psalmo depromptos et Clemente digniores quam Aeschylo.* Denique corrigit, τρέμει δέ τ' ὀργὴν γαῖα, ridiculo utens argumento, *quasi extra terram sint montes; nisi quis lunae intellexerit.* Τὸ σάρκινον, addit, *Christiani quid spirat.* Ubi nos habemus ἐπὰν, ibi Iustini et Eusebii lectionem ὅταν reposuit: de quo videro paullo post. Ex his apparet suspectum quidem locum Bothio fuisse, sed nesciisse ipsum, quid potissimum statueret: quodsi Iudaeorum fraudes perspectas habuisset, supersedere potuisset vano emendandi labore. Postremo ultimus versus in Aeschyleorum fragmentorum collectione vulgo perperam omittitur, quod Stanleius de eo addubitavit: eoque effectum est, ut tamdiu locus fefellerit lectores: fefellit autem etiam Grotium, qui tamen Aeschyli vetere illo iunioris esse putat in Notis ad Excerpta. Etenim singula fere Hellenistica sunt, atque ea quoque, quae Graeca putes, videntur non aliunde quam ex LXX profecta esse. Ita χωρί-

ζεσθαί τινος habes Esdr. 6, 21. Prov. 18, 1. etc. θνητὸς ubivis est, ut Prov. 20, 24. Sap. 7, 1. Μὴ δόκει plane Hebraicum. 2 Macc. 7, 16. μὴ δόκει δὲ τὸ γένος ἡμῶν ὑπὸ τοῦ θεοῦ καταλελεῖφθαι. Ita σάρκινος 2 Paral. 32, 8. Ezech. 11, 19. 36, 26. 2 Cor. 3, 3. καθίστασθαι Iacob. 3, 6. 4, 4. etc. Et Graece dixisses ὅμοιος αὐτῷ σάρκινος καθεστάναι, aut certe ὁμοῖόν τινα σάρκινον καθεστάναι. In seqq. Iudaeo Proteus obversabatur (ad eumque novi qui retulerit, ita ut ex Aeschyli satyrica Proteo putaret esse) aut Thetis illa Sophoclea in Achillis amatoribus, quae dicit:

> Τίς γάρ με μόχθος οὐκ ἐπεστάτει; Λέων
> Δράκων τε, πῦρ, ὕδωρ.

Etiam ὁρμὴ passim legitur apud Hellenistas, quorum proprium fere est vocabulum γνόφος. Exod. 10, 22. καὶ ἐγένετο σκότος, γνόφος, θύελλα. Ios. 24, 7. νεφέλην καὶ γνόφον. Ioel. 2, 2. ἡμέρα σκότους καὶ γνόφου, ἡμέρα νεφέλης. Deuteron. 4, 11. 5, 22. Exod. 14, 20. Ezech. 34, 12. Iob. 17, 13. et ubivis. Θὴρ est Iob. 5, 23. 2 Macc. 4, 25. 11, 9. Sequens versus maxime Iudaicum characterem habet in universo orationis progressu: νεφέλη et ἀστραπὴ iunguntur Exod. 19, 16. Cantic. tr. p. 42. ἀστραπαὶ et βρονταὶ ubivis compositae; βροχὴ est Psalm. 68, 10. 105, 32. Matth. 7, 25. 27. et haec om-

nia, ventus, aqua, tonitru, fulmina, pluvia Deo iuncta Ierem. 51, 16. Etiam *νέφος*, si forte hoc reponendum censeas, legitur apud Hellenistas. Deinde notes recurrentem semper parallelismum; primum dixit Deum *fieri* aquam, *fieri* montem, et similia; nunc pergit: *Servit* ei aqua, *servit* mons etc. postremo, *Extremiscunt* ei montes, *extremiscunt* aquae et quae sequuntur. Atque in singulis repetitur is parallelismus, ut *πᾶσα πηγὴ* et *ὕδατος συστήματα*, quod plane idem est, nec differt magnopere a praegressa *θαλάσσᾳ*; item *ὄρη* et *γαῖα*, atque iterum idem *βυθὸς θαλάσσης* et *ὀρέων ὕψος μέγα*. Haeccine tamdiu pro Aeschyleis habita esse? *Πᾶσα πηγὴ* est maxime Hellenistis usitata. Genes. 7, 11. *ἐρράγησαν πᾶσαι αἱ πηγαὶ τῆς ἀβύσσου*. 4 Reg. 3, 19. *καὶ πάσας πηγὰς ὕδατος ἐμφράξεσθε*. 25. *πᾶσαν πηγὴν ὕδατος ἐνέφραξαν*. Ita et *ὕδατος συστήματα*. Genes. 1, 10. *καὶ ἐκάλεσεν ὁ θεὸς τὴν ξηρὰν γῆν, καὶ τὰ συστήματα τῶν ὑδάτων ἐκάλεσε θαλάσσας*. Exech. 31, 4. *τοὺς ποταμοὺς αὐτῆς ἤγαγε κύκλῳ τῶν φυτῶν αὐτοῦ, καὶ τὰ συστήματα αὐτῆς ἐξαπέστειλεν εἰς πάντα τὰ ξύλα τοῦ πεδίου*. Ierem. 51, 32. *καὶ τὰ συστήματα αὐτοῦ ἐνέπρησαν ἐν πυρί*. Reliqua verba ubivis in LXX sunt: ad sententiam cf. modo Ierem. 4, 24. *εἶδον τὰ ὄρη καὶ ἦν τρέμοντα*. Psalm. 103, 32. *ὁ ἐπιβλέπων ἐπὶ τὴν*

γῆν καὶ ποιῶν αὐτὴν τρέμειν, ὁ ἁπτόμενος τῶν ὀρέων, καὶ καπνίζονται. Adeo γαῖαν Hellenistae dicunt, Esdr. 9, 14. Psalm. 48, 11. Ita et βυθὸς θαλάσσης. Psalm. 67, 24. ἐπιστρέψει ἐν βυθοῖς θαλάσσης. Ἄβυσσος et γῆ, ut hic βυθὸς et γαῖα, iunguntur etiam Sirac. 16, 19. ἄβυσσος καὶ γῆ σαλευθήσεται; et de motu eorum v. Psalm. 76, 15. 18. Ad ὀρέων ὕψος μέγα cf. 2 Macc. 9, 8. καὶ πλάστιγγι τὰ τῶν ὀρέων οἰόμενος ὕψη στήσειν. Iesai. 37, 24. ἐγὼ ἀνέβην εἰς ὕψος ὀρέων. Psalm. 94, 4. Καὶ τὰ ὕψη τῶν ὀρέων αὐτοῦ εἰσίν. Vox ἐπὰν reperitur quidem ap. Plat. Rep. l. c. ab Intpp. Thom. M. p. 332. et ap. Eurip. Herc. F. 1364. ut ap. Hom. ἐπὴν, sed Hellenistica potissimum est. V. Matth. 2, 8. Luc. 11, 22. 34. ideoque lectionem ὅταν non probo. Ἐπιβλέπειν ubivis est in LXX, ut Psalm. l. c. Sirac. 16, 18. ἰδοὺ ὁ οὐρανὸς καὶ ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ τοῦ θεοῦ, ἄβυσσος καὶ γῆ σαλευθήσονται ἐν τῇ ἐπισκοπῇ αὐτοῦ, ἅμα τὰ ὄρη καὶ τὰ θεμέλια τῆς γῆς, ἐν τῷ ἐπιβλέψαι εἰς αὐτὰ τρόμῳ συσσείονται. Et quid congeram locos de oculis Dei, atque adeo de oculo numero singulari dicto? Etiam δεσπότης Iudaicum est, etsi hoc Graecus quoque de domino naturae usurpare poterat, licet is ne deos quidem dominos suos agnoverit. V. Heindorf. ad Phaedr. Plat. p. 338. Sirac. 36, 1. ἐλέησον ἡμᾶς δέσποτα ὁ θεὸς πάντων.

Et quid dicam de ultimo versu? qui sive, ut vulgo, legatur, sive ut Potterus censet cum hiatu (quae sane egregia falsarii imperitia esset),

Πάντα δύναται γὰρ δόξα ὑψίστου Θεοῦ,

sive tandem, ut scribendum arbitror,

Πάντα δύναται γὰρ δόξα Θοὐψίστου Θεοῦ,

plane hebraizat. Ζεὺς ὕψιστος Graecorum est, ut Pind. Nem. XI, 7. Aeschyl. Eumenid. 26. τέλειον ὕψιστον Δία, ut Thebis ap. Pausan. IX, 8, 3. apud Corinthios ib. II, 2, 7. et Alti ib. V, 15, 4. Sed videamus loca Hellenistarum. Mich. 6, 6. ἀντιλήψομαι Θεοῦ μου ὑψίστου. Dan. 5, 18. ὁ Θεὸς ὁ ὕψιστος τὴν βασιλείαν καὶ τὴν μεγαλωσύνην καὶ τὴν τιμὴν καὶ τὴν δόξαν ἔδωκε κ. τ. λ. Sirac. 50, 20. Genes. 14, 18. 19. 20. 22. Psalm. 56, 3. Dan. 3, 27. Marc. 5, 7. Luc. 8, 28. etc. Et sic δόξα Θεοῦ Sirac. 44, 2. Psalm. 137, 6. et ubivis. Ita πάντα δύνασθαι Psalm. 137, 6. Iob. 42, 2. Magis autem sermo veteris testamenti quam novi est in his versibus, unde coniicio Christiani non esse: immo manifeste idem auctor est, qui modo adscripta fragmenta fecit: ut hic est ἐπὰν, ita et in Pseudo-Sophocle ἐπὰν δ' ἄρ' ἐκλίπῃ τὸ πᾶν: similes ibi etiam versus illi, ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε κ. τ. λ. et ibi est κυμάτων ἅπας βυθὸς, ut h. l. πελώριος βυθὸς θαλάσσης.

Apud Clem. Alex. Stromm. V, p. 205. et Euseb. Praep. evang. XIII, p. 682. locus est *Menandro* tributus et inde relatus in Cleric. collect. p. 268.

> Εἴτις δὲ θυσίαν προσφέρων, ὦ Πάμφιλε,
> Ταύρων τε πλῆθος ἢ ῥίφων ἢ νὴ Δία
> Ἑτέρων τοιούτων, ἢ κατασκευάσματα
> Χρυσᾶς ποιήσας χλαμύδος ἤτοι πορφυρᾶς,
> Ἢ δι' ἐλέφαντος ἢ σμαράγδου ζώδια,
> Εὔνουν νομίζει τὸν θεὸν καθιστάναι,
> Πεπλάνητ' ἐκεῖνος καὶ φρένας κούφας ἔχει.
> Δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα χρήσιμον πεφυκέναι,
> Μὴ παρθένους φθείροντα, μὴ μοιχώμενον,
> Κλέπτοντα καὶ σφάττοντα χρημάτων
> χάριν.
> Μηδὲ βελόνης ἔναμμ' ἐπιθυμῇς, Πάμφιλε,
> Ὁ γὰρ θεὸς βλέπει σε πλησίον παρών.

In his non dubito quin nonnulla vere Menandri sint: alia ab interpolatore mutata aut adiecta videntur. Ita illud ἢ δι' ἐλέφαντος ἢ σμαράγδου ζώδια partim ob insolentem usum praepositionis διὰ p. ἐκ, partim propter similitudinem illorum Pseudo-Sophoclis versuum,

> Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων, ἢ χαλκέους
> Ἢ χρυσοτεύκτους ἢ 'λεφαντίνους τύπους,

valde suspectum est: nec minus seqq., in quibus statim recurrit καθιστάναι et πλανᾶσθαι,

quae novimus Hellenistarum esse. Etiam χλαμύδος haud rarum est apud hos; et ultimus versus merito potest confictus videri. Eadem, credo, conditio est versuum sequentium, quos pro Menandreis afferunt iidem:

Μηδὲ βελόνης
Ὦ φίλτατ', ἐπιθύμησον ἀλλοτρίας ποτέ.
Ὁ γὰρ θεός γ' ἔργοις δικαίοις ἥδεται·
Πονοῦντα δ' ἐᾷ τὸν ἴδιον ὑψῶσαι βίον,
Τὴν γῆν ἀροῦντα νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν.
Θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὤν,
Μὴ λαμπρὸς ὢν ταῖς χλαμύσιν ὡς τῇ καρδίᾳ.
Βροντῆς ἀκούσας μηδαμῶς πόρρω φύγῃς,
Μηδὲν συνειδὼς αὐτὸς αὑτῷ, δέσποτα.

Ultimum versum ut repetitum ex prioribus cum Clerico omisi. Praeterea leg. καὶ λαμπρὸς ὢν, ut cetera taceam. Ex eodem Iustino et Clemente feruntur versus Euripidis hi ap. Grot. et Barnes.

Εἴ τις δὲ θνητῶν οἴεται τοὐφ' ἡμέραν
Κακόν τι πράσσων τοὺς θεοὺς λεληθέναι,
Δοκεῖ πονηρὰ καὶ δοκῶν ἁλίσκεται.
Ὅτε δ' ἂν σχολὴν ἄγουσα τυγχάνῃ δίκη,
Τιμωρίαν ἔτισεν ὧν ἦρξεν κακων.
Ὁρᾶτ' ὅσοι νομίζετ' οὐκ εἶναι θεόν,
Δὶς ἐξαμαρτάνοντες οὐκ εὐγνωμόνως.
Ἔστιν γὰρ, ἔστιν· εἰ δέ τις πράσσει κακῶς,

Κακὸς πεφυκὼς, τὸν χρόνον κερδαινέτω.
Χρόνῳ γὰρ οὗτος ὑστέρῳ δώσει δίκην.

His ap. Iustin. praefigitur versus plane ἄμετρος:

Ἄφθονον βίου μῆκος δίδωσι πρὸς κρίσιν.

Apud Clementem sic legitur:

Ὃς τοῖς ἁμαρτάνουσι πρὸς μῆκος βίον
Δίδωσιν· εἴ τις δ' οἴεται τοὐφ' ἡμέραν

etc. unde satis apparet, varie haec interpolata esse. Docuit autem Valckenarius l. l. quinque versus esse Euripidis genuinos e Phrixo:

Ὅστις δὲ θνητῶν οἴεται τοὐφ' ἡμέραν
Κακόν τι πράσσων τοὺς θεοὺς λελῆθέναι,
Δοκεῖ πονηρὰ καὶ δοκῶν ἁλίσκεται.
Ὅταν σχολὴν ἄγουσα τυγχάνῃ Δίκη,
Τιμωρίαν ἔτισεν ὧν ἦρξεν κακῶν.

Plura vide ap. Valck. Clementis lectio,

Ὁρᾶτ' ὅσοι δοκεῖ τε οὐκ εἶναι θεόν,

turpi hiatu laborat. Illud ἔστιν γὰρ, ἔστιν valde adamavit iste Iudaeus. Ita habuimus,

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστιν θεός,

et,

Ἔσται γὰρ, ἔσται κεῖνος αἰῶνος χρόνος.

Ni fallor, obloquitur Euripidi, cuius hoc est ex Bellerophonte,

> Φησίν τις εἶναι δῆτ' ἐν οὐρανῷ θεούς;
> Οὐκ εἰσὶν, οὐκ εἰσ'· εἴ τις ἀνθρώπων λέγει,
> Μὴ τῷ παλαιῷ μωρὸς ὢν χρήσθω λόγῳ.

Ut in plurimis horum spuriorum versuum magna lectionum, ordinis, auctorum est confusio, ita etiam invenitur in sequenti fragmento, quod ap. Iustin. *Philemoni* tribuitur, ap. Clem. *Diphilo*: scilicet parum sibi Iudaeis falsariis constantibus. Est hoc tale.

> Οἴει σὺ τοὺς θανόντας, ὦ Νικήρατε,
> Τρυφῆς ἁπάσης μεταλαβόντας ἐν βίῳ,
> Πεφευγέναι τὸ θεῖον ὡς λεληθότας;
> Ἔστιν Δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
> Καὶ γὰρ καθ' Ἅιδην δύο τρίβους νομίζομεν,
> Μίαν δικαίων, χἀτέραν ἀδίκων ὁδόν.
> Εἰ γὰρ ὁ δίκαιος κἀσεβὴς ἕξουσιν ἕν,
> Ἅρπαζ' ἀπελθὼν, κλέπτ', ἀποστέρει, κύκα.
> Μηδὲν πλανηθῇς, ἔστι κἀν Ἅιδου κρίσις,
> Ἥνπερ ποιήσει θεὸς ὁ πάντων δεσπότης,
> Οὗ τοὔνομα φοβερὸν, οὐδ' ἂν ὀνομάσαιμ' ἐγώ.

Mitto varias lectiones, quarum hic quoque magnus numerus est, mitto traiectiones ceterosque errores: unum dico hoc, aliquid certe ex Graeca comoedia profectum videri, sed il-

lud misere interpolatum. Notes autem hunc locum cohaerere cum praecedente; nam apud Clementem continuatur ita:

> Ὃς τοῖς ἁμαρτάνουσι πρὸς μῆκος βίον
> Δίδωσιν·

quibus iam cetera adiecta erant. Sic apud primitivum auctorem nescio quem Hellenistam uno tenore decurrebant. De eo loco Clericus in collect. fragmm. p. 362. *Quamvis*, ait, *hi versus forte possint suspecti haberi, quasi a Iudaeo aut a Christiano primum facti, sub Diphili aut Philemonis nomine; attamen ab Ethnico potuit melius dici quod hic habetur de nomine Dei non proferendo.* Ego vero nunc planissime ostendam, nisi alia, de quo nunc non dicam amplius, at certe tres postremos versus ab Hellenista fraudulenter adiectos esse. Quanto sublimior est Atticus poeta, qui et ubi de Orco dicit, sidera vertice tangit, Aeschylus Suppl. vs. 231.

> Οὐδὲ μὴ 'ν Ἄιδου θανών
> Φύγῃ ματαιῶν αἰτίας πράξας τάδε.
> Κᾀκεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ', ὡς λόγος,
> Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας.

Μηδὲν πλανηθῇς Hellenisticum est. Prov. 1, 10. υἱὲ, μή σε πλανήσωσιν ἄνδρες ἀσεβεῖς. Iesai. 44, 8. μὴ παρακαλύπτεσθε μηδὲ πλανᾶσθε.

Prov. 7, 25. *καὶ μὴ πλανηθῇς ἐν ἀτραποῖς αὐτῶν.* Matth. 24, 4. 1 Cor. 6, 9. 15, 33. Galat. 6, 7. Iacob. 1, 16. Operae pretium est adscribere locum similem 1 Cor. 6, 8 — 10. *Ἀλλ' ὑμεῖς ἀδικεῖτε καὶ ἀποστερεῖτε, καὶ ταῦτα ἀδελφούς. καὶ οὐκ οἴδατε, ὅτι ἄδικοι βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι; μὴ πλανᾶσθε, κ. τ. λ.* nam taedium subrepit transscribendi. De *ᾅδῃ* mentio est ubivis in Hellenistis, et *κρίσις ᾅδου* respondet *κρίσει τῆς γεέννης* Matth. 23, 33. *Κρίσιν ποιεῖν* amant iidem de Deo et quolibet iudice, ubi Graeci dicunt saltem *κρίσιν ποιεῖσθαι.* Iesai. 1, 24. Psalm. 139, 13. Deuteron. 10, 18. Psalm. 98, 4. Ezech. 28, 26. ubi de Deo est, *ὅταν ποιήσω κρίσιν.* Is autem dicitur *θεὸς ὁ πάντων δεσπότης*, ut h. l. ita et Sirac. 36, 1. cf. Sap. 6, 7. 8, 3. Iob. 5, 8. Act. 4, 24. Iud. 4. Et num Iovis nomen metuendum? Minime, obstrepente licet Clerico, sed Iehovae potius: nempe *ἅγιον καὶ φοβερὸν τὸ ὄνομα αὐτοῦ* Psalm. 119, 9. cf. 98, 3.

Dei sui nomen passim Iudaei et Christiani Ethnicorum scriptis fraudulenta interpolatione inseruerunt: nec tamen difficile est fraudem detegere. Ita est in Platonica epistola VI. p. 323. D. ubi Scriptor nescio qui hortatur Hermiam, Coriscum et Erastum: *Ταύτην*, inquit, *τὴν ἐπιστολὴν πάντας ὑμᾶς τρεῖς ὄντας ἀναγνῶναι χρὴ, μάλιστα μὲν ἀθρόους, εἰ δὲ μὴ,*

κατὰ δύναμιν ὡς οἷόν τ' ἐστὶ πλειστάκις· καὶ χρῆσθαι συνθήκῃ καὶ νόμῳ κυρίῳ, ὅ ἐστι δίκαιον ἐπομνύντας σπουδῇ τε ἅμα μὴ ἀμούσῳ καὶ τῇ τῆς σπουδῆς ἀδελφῇ παιδιᾷ [καὶ τὸν τῶν πάντων θεὸν ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ τε ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον ἐπομνύντας], ὃν (leg. ὃ) ἐὰν ὄντως φιλοσοφῶμεν, εἰσόμεθα πάντες σαφῶς, εἰς δύναμιν ἀνθρώπων εὐδαιμόνων. Quae uncis inclusi, sunt interpolatoris (cf. Tennemann. Syst. philos. Plat. T. I, p. 111.), et quidem Christiani, qui Deum patrem et filium Iesum Christum apud Platonem legi volebat: id quod valde delectavit sanctos patres hunc locum certatim proferentes, *Clem. Alex.* V, p. 255. 28. Sylb. *Orig.* c. Cels. VI, p. 288. Hoeschel. *Euseb.* Praep. evang. XIII, p. 675. C. *Cyrill.* adv. Iulian. VIII, p. 270. A. Nec tamen haec epistola a Christiano conficta est, sed agnoscitur ab Ethnicis, a Thrasyllo aliisque, etiam abs Timaeo Lexicographo ex ea quaedam imitante p. 2. ed. Ruhnk. Turpis error est Menagii ad Diog. L. III, 61. qui eam ne legerat quidem neque omnino norat. Tamen nolim quisquam epistolam Platonis esse putet, propterea quod a Christiano scripta non sit; potius et haec et ceterae spuriae sunt, exceptis VII. VIII. et credo III, quas quidem

suis parum idoneis argumentis Meinersius neutiquam prostravit.

Caput XIII.

Euripidis Medea drama correctum.

Quum in exordio harum dissertationum promisissem, de Euripide dicturum me fore, et speciatim de eius Iphigenia in Aulide, hactenus alia omnia egi, de his nihil quidquam narravi: nunc excusso Aeschylo ac Sophocle temporum series reducit ad Euripidem, et habemus iam nonnulla, quibus innixi inquiramus ulterius. Ut in unum Herculem multorum facinora heroum, ita in unum Sophoclem cognominis viri opera imposita videntur esse: Aeschyli vero fabulae ab eius familia subinde mutationes passae sunt; *Euripidis* num solas intactas atque integras relictas fuisse credis? Ego vero aliter contigisse aio: quod persequar nunc, admixtis aliis, quae ad intelligentiam huius tragici faciant, partim omnino non, partim minus diligenter adhuc traditis: eaque ordine proponam tali, qui mihi rebus

ipsis accommodatissimus videatur: quamquam in argumenti diversitate non poterit unicuique capiti locus definiri necessario. Eius igitur poetae plura emendata dramata esse supra dixi, ubi inter ea recensui *Medeam*. Non nunc animus est dicere contra Henr. Planckium ad Ennii Med. p. 71 sqq. quid ipse repererim, breviter proponam. Eam correctam fuisse ex veteribus tradunt summi auctores. Scriptor Argum. ap. Brunck. Τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι γενναιοφρόνως διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχός τε περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ὑπομνήμασιν. Qui correxerit, parum apertum: tamen ipsum Euripidem significari non dubito. Praestantissimus quidem Beckius coniecit: ὑποβαλέσθαι ὁ Σικυώνιος Νεόφρων; ac sane Neophronis Medea nihil aliud fuisse videtur quam Euripidis fabula, sed a capite ad calcem haud leviter interpolata. Illud quidem divinare licet e verbis Diog. L. II, 134. de Menedemo: Ὥστε πταίουσιν οἱ λέγοντες μηδὲν αὐτὸν ἀνεγνωκέναι, πλὴν τῆς Μηδείας τῆς Εὐριπίδου, ἣν ἐν τοῖς Νεόφρονος εἶναι τοῦ Σικυωνίου φασὶν, et fortasse ex fragmento Euripideis simillimo. V. Brunck. ad Med. 1063. Sed eadem fragmenta Neophronis tragoediam ostendunt a nostra diversam esse: atqui si Beckii emendationem recipias, ita res erit, quasi ea, quae superest,

Medea eadem sit ac Neophronis: quapropter equidem Euripidis ipsius interpolationem significari credo ab Auctore Argumenti. Apud Suidam Medea est minoris Euripidis tragoedia: cuius proinde nostram esse colligit Sam. Petitus Misc. VI, 15. non probans Hemsterhusio ad Hesych. v. Ἀπαιώνιστον. Nempe recte obiicit Ios. Barnesius Vit. Eurip. §. XVIII. maiori Euripidi ab ipso Aristophane tribui primum versum nostrae Medeae:

Εἴτ' ὤφελ' Ἄργους μὴ διαπτάσθαι σκάφος.

Dicas, emendare potuit hoc drama minor Euripides, et quis spondeat nostrum esse emendatum illud? Potuit hoc fieri, non infitior: tamen idonea causa non est, cur vere existimemus factum: immo contrarium coniiciendi causa est. Tradunt veteres scriptores, Parmeniscus ap. Schol. Med. vs. 9. et Aelianus V. H. V, 21. accepisse Euripidem a Corinthiis quinque talenta, ut Medeam ipsam faceret suos liberos interficientem, quos secundum alios Corinthii iugulavissent. Cf. Barnesius vit. Eurip. §. XVII. Et hic quidem criticus omnium ineptissimus damnat totam narrationem, ab hac quoque macula suo more purgaturus delicias suas. Inter alia dicit *iam* Carcinum Medeam eadem perpetrantem induxisse teste Aristotele Rhet. II, 23. Unde vero scit Car-

cinum hunc Atheniensem esse tragicum, Xenoclis patrem, non Agrigentinum diu post Euripidem clarescentem? V. Fabric. B. Gr. T. II, p. 291. ed. Harl. Verum ut hic sit, unde novit tam bene, ante Euripidis Medeam, quae producta est Ol. LXXXVII, 1. Pythodoro magistratu sec. Argum. Med., editum Carcini drama fuisse? Sed ne hoc quidem premere necesse est: quis enim primum Euripidem dixit fabulam de Medea mutasse? Nihil narrant nisi Corinthios Euripidi dedisse pecuniam, suam ut Medeam faceret liberos occidentem. Hoc Corinthii nonnisi in altera editione facere poterant: neque enim in priore consilium poetae iis facile innotescere poterat. Nisi quis dicat, ab ipsis excitatum et provocatum tragicum ad Medeam scribendam esse. Itaque iteratam editionem coniicio factam a maiore Euripide esse, consentiens Musgravio ad Med. 1344. Accedit quod vs. 1381. haec leguntur verba Medeae:

Γῇ δὲ τῇδε Σισύφου
Σεμνὴν ἑορτὴν καὶ τέλη προσάψομεν
Τὸ λοιπὸν ἀντὶ τοῦδε δυσσεβοῦς φόνου.

Si Medea ipsa liberos trucidavit, qui potuit ea caedem tam foedo nomine appellare, qui Corinthiis iubere, ut instituerent sacra propter eam? Nempe illa sacra significantur, quae

Corinthii celebrabant ad expiandam Mermeri et Pheretis, Medeae filiorum, necem ab ipsis factam, et ridiculus poeta fuisset, si ea ob Medeae facinus instituta esse tradidisset. De re Aelian. l. c. Ὑπὲρ δὲ τοῦ τολμήματος, φασὶ, [τῶν παίδων] μέχρι τοῦ νῦν ἐναγίζουσι τοῖς παισὶ Κορίνθιοι, οἱονεὶ δεσμὸν τούτοις ἀποδιδόντες. Schol. Eurip. l. c. Θύουσι δὲ αὐτοῖς καὶ Ἀργεῖοι κατὰ χρησμόν. Pausan. II, 3, 6. Παρὰ αὐτὸ μνῆμά ἐστι τοῖς Μηδείας παισὶν, ὧν ὀνόματα μὲν σφίσι Μέρμερος καὶ Φέρης, καταλιθωθῆναι δὲ ὑπὸ Κορινθίων λέγονται τῶν δώρων εἵνεκα, ὧν τῇ Γλαύκῃ κομίσαι φασὶν αὐτούς. ἅτε δὲ τοῦ θανάτου βιαίου καὶ οὐ σὺν τῷ δικαίῳ γενομένου τὰ τέκνα Κορινθίων τὰ νήπια ὑπ᾽ αὐτῶν ἐφθείρετο, πρὶν ἢ χρήσαντος τοῦ θεοῦ θυσίαι τε αὐτῶν ἐπέτειοι κατέστησαν καὶ Δεῖμα ἐπεστάθη. τοῦτο μὲν δὴ καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι λείπεται γυναικὸς ἐς τὸ φοβερώτερον εἰκὼν πεποιημένη. Et notes γῆν Σισύφου Corinthum invidiose appellari, ut Med. vs. 405. propterea quod Sisyphus est de versuto sed eodem impio homine: nec Sisyphus pater (non diversus a Corinthio, quod falso prodidit Erasm. Vindingius Hellen. p. 160. Ex Thes. Gronov. T. XI.) Ulyssi propter vim matri illatam exprobratur, quum magna pars honestissimorum heroum spurii fuerint, sed propter patris huius infamiam. V. Iphig. A.

vss. 524. 1362. Cyclop. 104. Sophocl. Aiac. flagellif. 190. Philoctet. 417. 623 seq. 1311. Aeschyl. Arm. Iudic. ap. Schol. Soph. Aiac. l. c. et Sophocl. ibid. Ovid. Art. III, 323. Recte Suidas de Sisyphidis: *εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν πανούργων καὶ κακοήθων.* His in unum collectis probabile est hos versus ex priore editione, in qua Corinthii pueros Medeae occiderant, relictos esse sive incuria sive alia quacunque de causa: id quod statuunt et Musgravius ac Böttigerus (de Medea Euripidea cum priscae artis operibus comparata in Matthiae Misc. Vol. I. P. 1.). Nam ut credam, in priore editione multa fuisse in Corinthios acerbius dicta, etiam facit Hesychii glossa: *Ἀπαιώνιστον, δύσφημον, Εὐριπίδης ἀλλαχοῦ, καὶ ἐν Μηδείᾳ· Κόρινθον ἀπαιώνιστον*: sic enim Hemsterhusius correxit p. *Κόρινθον ἀπαιώσιον*, notans una esse id ex priore Medea. Adde quod Lenzius in censura Planckiani libri (Annal. litt. philol. Heidelb. 1808. P. III.), quam nunc primum video, recte monuit, vss. 375 sqq. Medeam consilium habere interficiendi coniugis, quem tamen posthac non interficit: et concedes etiam illum locum e priore editione remansisse. Idem vero doctus vir cum Böttigero putat versus 1381 sqq. in priore Medea fuisse a Iunone pronunciatos ex machina rebus subveniente: quod ut credam, movet nunc me clausula, quae

Lenzio notante talis est, qualis nonnisi iis fabulis ab Euripide adhibetur, quae divina ope ad feliciorem exitum perducuntur: alias enim ipsa Medea, curru draconibus iuncto avecta, ut est in Senecae fabula cognomine, iubere ea poterat tamquam heroina divinis viribus praedita et horrenda. Haec sunt quae ego pro certis credo poni posse: ut praeter maiorem Euripidem ab alio interpolatam tragoediam putem esse, neque haec nec cetera a Lenzio dicta persuadent, quum mera coniectura nitatur eius sententia, quumque plures sint ipsius Euripidis fabulae, quae similibus vitiis laborent neque absque historiae testimonio huic abiudicari possint. Quae vitia in cetera fabulae praestantia ex ipsa correctione nata esse possunt: id quod in emendatione fieri solet, ut pro mendis, quae deleas, maiora committas. Sed his excussis videamus, num aliae quoque utriusque recensionis diversitates hodieque investigari queant, et quaenam sint earum causae rationesque. Plura tanquam ex Medea Euripidis proferuntur, quae in nostra nusquam reperies posita: ea censeo ex priore sumpta esse. Ne tu ista ex minoris Euripidis Medea deprompta putes: non illa videtur magnam celebritatem habuisse, et illud Κόρινθον ἀπαιώνιστον certe est ex maioris Euripidis dramate, quoniam dicitur, Εὑρι-

πίδης ἀλλαχοῦ καὶ ἐν Μηδείᾳ. Porro ad haec Aristophanis Acharn. vs. 119.

Ὦ θερμόβουλον πρωκτὸν ἐξευρημένη,

annotat Schol. παρῳδίᾳ χρῆται· ἔστι γὰρ ἐν τῇ Μηδείᾳ Εὐριπίδου, ὦ θερμόβουλον σπλάγχνον. οὗτος οὖν σκώπτων Εὐριπίδην προσέθηκε πρωκτὸν παρὰ προσδοκίαν. Cur hunc locum in secunda Medea poeta omiserit, satis est apertum: neque enim respicere ad vs. 109. Scholion potest; nec scio, cur Musgravius conferre *tamen* iubeat Aristoph. Pac. 1013. ubi nihil est quod huc faciat, nisi quod ibi appellatur Medea Melanthii, cui nihil cum nostra commune est. Item ap. Stob. Serm. LXXVI, p. 453. citantur ex Medea Euripidis haec.

Τὸ θρέψαι δ' ἐν βροτοῖσι πολλάκις
Πλείω πορίζ' ἰ φίλτρα τοῦ φῦσαι τέκνα.

Haec Brunckius Animadvv. in Med. extr. negat locum habere potuisse in hac fabula: quidni habuerint in priore editione, in qua nutrix ea commodissime pronunciare poterat? Sed cod. Reg. ap. Brunck. habet Βιότου ἐκ Μηδείας. Plurimorum tragicorum sunt Medeae, *Carcini* ap. Aristot. l. c. *Dicaeogenis* ap. Schol. Eurip. Med. 167. *Diogenis Oenomai* ap. Suid. v. et inde Eudoc. Violar. p. 132. *Melanthii* ap. Aristoph. Pac. 1013. ubi v. Schol. *Herilli* ap.

Diog. L. VII, 166. *Neophronis*, v. Brunck. ad Med. 1663. Menag. ad Diog. L. II, 134. item comicorum *Antiphanis* ap. Polluc. VII, 57. pro quo nescio qua ratione tragicum Antiphontem reponunt Ruhnkenius et Spaanius; porro *Cantharidis* ap. Suid. v. et inde Eudoc. p. 269. Suid. et Apostol. in proverb. Ἀράβιος αὐλητής, quam tragoediam facit Fabricius B. Gr. T. II, p. 290. nulla idonea causa, postremo *Dinolochi* ap. Polluc. IV, 174. coll. Hemsterh. et Fabric. B. Gr. l. c. p. 294. *Eubuli* ap. Athen. VII, p. 300. C. *Strattidis* ap. Athen. XI, p. 467. E. XV, p. 690. F. Harpocrat. v. Μυσῶν λεία. Bioti nec comici nec tragici ne nomen quidem innotuit: neque horum nominum ullum propius ad cod. Regii scripturam accedit: quapropter vereor ne hoc quoque fragmentum ex Nostri Medea priore sit. Apud Plutarchum bis legitur versus Euripidis,

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐδ' αὑτῷ σοφός,

quem in Medea Ennii positum fuisse ex Cicerone discimus Epistt. ad Fam. VII, 6. ubi inde affertur:

Qui ipsus sibi
Sapiens prodesse non quit, necquidquam sapit.

Itaque illum quoque ex Euripidis priore Medea esse recte conieceris. Etiam lectionis differentia vs. 244. Ἔξω μολὼν ἔπαυσε καρδίαν ἄσης et

ἔπαυσε καρδίας χόλον, de qua v. Pierson. ad Moer. p. 60. Ruhnk. ad Tim. p. 247. videtur orta ex duplici editione esse. Alia duo apponam a Porsono acutissime investigata. Vs. 300. legitur hoc:

> Σκαιοῖσι μὲν γὰρ καινὰ προσφέρων σοφά
> Δόξεις ἀχρεῖος κοὐ σοφὸς πεφυκέναι.

Apud Aristophanem vero Thesm. vs. 1141. Mnesilochus socer Euripidis dicit:

> Σκαιοῖσι γάρ τοι καινὰ προσφέρων σοφά
> Μάτην ἀναλίσκοις ἄν.

Jam ap. Eurip. est varia lectio ἔπη p. σοφά. Quo posito Porsonus, *Credo equidem*, inquit, *hanc lectionem esse ex Euripidis ipsius curis secundis profectam. Cum enim esset Noster* εὐεπίφορος εἰς τὸ σοφός, *veterem eius inimicum hoc vitium effugere non poterat. Ergo*, pergit interpositis aliquot verbis, *hac reprehensione permotus* σοφὰ *in* ἔπη *mutasse videtur Euripides.* Haec ille: sed et istud, μάτην ἀναλίσκοις ἄν, mihi videtur in priore editione fuisse. Alterum pertinet ad Med. vs. 1314. ubi nunc habes:

> τί τάσδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις πύλας;

sed maxime probabiliter Porsonus ostendit olim fuisse:

Τί τούςδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις λόγους;

Ecce vero apud Aristophanem Nub. vs. 1399. Phidippides, postquam ex Euripidis Aeolo cecinerat incestos amores, monetur a choro his verbis:

Σὸν ἔργον, ὦ καινῶν ἐπῶν κινητὰ καὶ μοχλευτά.

Medeae versus traduci intelligitur facile: et vides iam causam, cur in altera editione pro audaciore locutione submissiorem delegerit. Sic et tempus definitur iteratae editionis; facta enim post Ol. XCI, 3. quo anno docta Thermophoriazusae, cuius v. vs. 1069. coll. Musgrav. Chronol. scenic. Ol. XCI, 2 et 3.

Caput XIV.

In Graecis tragoediis, praesertim Euripidis, multa in spectatorum, multa in partium favorem dicuntur, multa ex temporis historia illustranda. In Hippolyti coronati iterata recensione temporum est habita ratio. Num de Palamede similiter statuendum sit.

Apud Platonem in elegantissimo colloquio, cui a Gorgia Sophista nomen impositum est, multis disputatur in eam sententiam, tragoediam non ad optimum neque ad emendandam civitatem sermones suos dirigere, sed hoc agere unice, ut spectantibus gratificetur, horum voluptati inserviat, horum suffragia ferat; ac si modos, numeros, metra subtraxeris, nihil superesse nisi verba ad magnam populi multitudinem in publico facta, pro concione puerorum et mulierum promiscue ac virorum, servorum et liberorum: ita ut haec magnifica et admirabilis maxime tragoediae poesis revera nihil differat ab oratoria arte, sed, ut haec, plebis sit adulatrix. Durum hoc est gravissimi

viri iudicium, neque illud nobis magnopere placet: at veteris tragoediae indole excusatur quodammodo. Primum enim ex iisdem rationibus, quibus universam popularium suorum poesin Plato damnabat, ne tragoediae quidem favere poterat, propterea quod haec quoque vitas hominum imitabatur, improbos aeque ac probos mores describens; deinde Platonis quidem aetate hoc genus poeseos magnam habuit cum rhetorice affinitatem, ex quo Euripides liberius et frequentius de pulpito dicere coepit talia, quae partim *philosophorum scholis*, partim *forensi suggestui* magis convenirent, quam Bacchi theatro. Ex quibus necesse est Platoni alterum cummaxime arrisisse, quod praccepta morum ex histrionum ore sonarent, alterum vero non minus displicuisse, quum publicis civitatis negotiis poetae sese immiscerent. Et de illa quidem re audiamus Valckenarium Diatr. p. 250. egregie disserentem. *Socratis*, inquit, *exemplum secutus istac iam aetate corruptos civium suorum mores emendare studuit Euripides*, ἄξιος ὡς ἀληθῶς Σωκρατικῆς διατριβῆς, *ut vere Clementi dicitur Alex. in Protr. p.* 65. 12. *Si praestare non adeo potuit, facere tamen conatus est, quod poetam decere dicit Agathon in Aristoph. Ran. vs.* 1041. *Pro istius aevi licentia malos cives nominatim insectabatur Aristophanes, quorumdam etiam*

optimorum irrisor maledicentissimus. Humanitatis amans Euripides sub heroicis personis, antiquis certe, vitia civitatis Atticae plurima modeste notavit; nullum frequentius, quam bonis civibus et civitati perniciosum eloquentiae studium. Quam in rem erudite disputat p. 255 sqq. Sed eiusmodi plura adhuc investiganda sunt: quibus neglectis veterum dramatum intelligentia nunquam perfecta erit. Ita quod in Phoenissis vss. 472 sqq. Eteocles cum fratre colloquens omne ius fasque spernit, pro honesto, pro aequo, pro pio impotentem vim exercendam, immanissimis quibusque et iniustissimis cupiditatibus obtemperandum esse profitetur, haud dubie docetur ex Sophistarum et Rhetorum persona, haec perditissima praecepta palam prae se ferentibus, quemadmodum ille Callicles ap. Plat. Gorg. p. 485 B sqq. et Thrasymachus Chalcedonius Rep. I, p. 338, C sqq. quorum sententiam exponit et Glauco Rep. II, p. 358 B sqq.

Sed multo plura loca sunt, ubi Euripides oratorum more modo optimatum, modo plebis contra adversarios, modo reipublicae Atheniensis partes suscipit contra extraneos, eius sive studiis sive odiis accommodans fabulas: et videntur adeo multae veterum tragoediae, quae tempori inserviebant, certis occa-

sionibus atque ad certum quempiam finem a poetis festinatae esse, ut proximis feriis docerentur, haud diu meditatae, sed negligentius elaboratae, id quod de Supplicibus et aliis apertum est, de quo dicemus paullo post. Et fuit hoc non minimum tragoediae commodum, quod patriae res agebantur: inde potissimum nata facultas est admiscendi quaedam ad deliniendos spectatorum animos, mireque augendum populi studium. Neque in hoc Euripides primus est, sed laudes sociorum, hostium reprehensiones reperies iam apud Aeschylum, quo pertinent Pers. vss. 229—244. et quae de Eumenidibus dixi cap. IV. atque ubivis sunt descriptiones rerum civibus gratarum et patriae laudes, ut apud Aeschylum in fine Eumenidum, monente Böttigero de fur. pers. p. 6. et apud Sophoclem Oedip. Col. 668-720. Tamen negari non potest, in Euripide hoc cerni potissimum, quoniam is, vt Pollux dicit IV, 111. multa ex sua persona loquitur etiam per chorum, quod quidem *τραγικὸν*, inquit, *οὐκ ἔστιν, ἀλλ' Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν. ἐν μέν γε τῇ Δανάῃ τὸν χορὸν, τὰς γυναῖκας, ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιήσας παρειπεῖν, ἐκλαθόμενος ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησε τῷ σχήματι τῆς λέξεως τὰς γυναῖκας. καὶ Σοφοκλῆς δὲ αὐτὸ ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἀμίλλης ποιεῖ σπανιάκις, ὥςπερ ἐν Ἱππονόῳ.* De hoc Euri-

pidis more dixit iam Jacobsius noster Addit. ad Sulzer. Theor. T. V. P. II, p. 408 - 410. et de singulis tragoediis varii, ut de Bacchis Musgravius et Tyrwhittus ad vs. 201. Memorabile inprimis exemplum est descriptio Menelai Laconis, qui ab Atticis poetis fingitur homo improbissimus, ut in Euripideis Oresta et Andromacha atque Aulidensi Iphigenia: v. Markl. ad Iphig. A. 304. coll. Sophocl. Aiac. flagellif. 1047 sqq. Neque immerito Barnesius, homo cetera absurdus, etsi is maxima ne cognita quidem habebat, dicit vit. Eurip. §. III. *Nemo mortalium tanta dexteritate veteres fabulas ad praesentis tunc temporis circumstantias referre umquam deprehenditur; quod maximum semper audiendi lenocinium habetur. Adeo autem se omnia auditorum suorum gratia scribere professus est, ut etiam volens sciensque nonnunquam de scenae regulis remitteret et artem tragicam arte populari commutaret.* Hinc est, quod Dio Chrysostomus laudat τὸ ἀκριβὲς καὶ δριμὺ καὶ πολιτικὸν τὸ τοῦ Εὐριπίδου, et quod Plutarchus vocat Εὐριπίδην σοφὸν ἄνδρα καὶ πολιτικῶν ἐπιστήμονα σοφισμάτων: quin multo ante utrumque Aristophanes in Ranis post Aeschylum Euripidem per ludibrium induxit consilia civitati dantem. His igitur de rebus nunc expromam quaedam singularia.

Hippolyti Euripidei duae fuerunt editiones, altera *καλυπτομένου*, altera *στεφανηφόρου* nomine insignita: ex quibus illa deperdita est, haec adhuc servatur, atque ab Auctore Argumenti dicitur esse *τῶν πρώτων*, victoriamque Athenis meruit, licet longe inferior multis aliis Euripidis fabulis; sed ipsa vitia, sententiae inprimis immodice cumulatae, et fortasse faustus fabulae exitus iudicum animos videntur movisse, nisi aemulorum Iophontis et Ionis etiam minus bonae tragoediae fuerunt. Verum, ni fallor, accessit aliud, ut praemio Euripides decoraretur, illud dico, quod plura in hoc dramate ad praesentem tunc reipublicae statum dicta sunt ita commode, neminem ut latere, neminem immotum recordatione calamitatum relinquere potuerint. In Hippolyto velato finis egregius fuit hic (Fragm. XVIII):

Ὦ μάκαρ, οἵας ἔλαχες τιμᾶς,
Ἱππόλυθ' ἥρως, διὰ σωφροσύνην.
Οὔποτε θνατοῖς ἀρετῆς ἄλλη
Δύναμις μείζων. ἦλθε γὰρ ἢ πρόσθ'
Ἢ μετόπισθεν
Τῆς εὐσεβίης χάρις ἐσθλή.

Non dubito quin hos versus omnes praelaturi sint istis, qui nunc claudunt tragoediam:

Κοινὸν τόδ' ἄχος πᾶσι πολίταις
Ἦλθεν ἀέλπτως.
Πολλῶν δακρύων ἔσται πίτυλος.
Τῶν γὰρ μεγάλων ἀξιοπενθεῖς
φῆμαι μᾶλλον κατέχουσιν.

Tamen nemo quaerit, cur haec pro illis reposita sint a poeta; ne Valckenarius quidem in hoc offendit. Ea, quae antecedunt hos anapaestos, tanquam maxime egregia nuper laudavit A. W. Schlegelius libro Gallicé scripto, comparatione inter Phaedram Racinii et Euripidis p. 103. sed multo etiam majorem gratiam, quam apud nos, habebant apud Atticos auditores. Nempe ultimi versus sunt hi:

Ὦ κλεὶν' Ἀθηνῶν Παλλάδος θ' ὁρίσματα,
Οἵου στερήσεσθ' ἀνδρός· ὦ τλήμων ἐγώ.
Ὡς πολλὰ, Κύπρι, σῶν κακῶν μεμνήσομαι.

Hippolytus repetitae editionis data Ol. LXXXVII, 4. eodem anno quo periit Pericles morbo absumptus: unde jam nequit dubium esse, haec, οἵου στερήσεσθ' ἀνδρὸς, pronunciata abs Theseo heroe populari, dicta esse ad significationem nuper defuncti magni viri, ideoque etiam illa, κοινὸν τόδ' ἄχος κ. τ. λ. pro multo melioribus substituta esse, ut hoc lenocinio audientium animi captarentur, utque Periclis, quo nullus de republica videretur

melius meritus fuisse, memoria in tragoedia quoque celebraretur, quam ille sua munificentia tantum promoverat. Atque ejusmodi dicta quam cupide populus arripuerit, quam callide perspexerit, licet discere ex narratione de Aristide, quum doceretur Aeschyli Septem adversus Thebas, si ea vera est. V. cap. V. extr. Quam bene autem tempora conveniunt! Obiit Pericles Archonte Aminia mense Metageitnione: v. Dodwell. Annal. Thucyd. p. 657. Lips. paucis interjectis mensibus sunt Lenaea, quibus acta haec fabula erit. Etiam plus: consulto delegisse Euripidem tragoediam hanc contendo, ut hoc anno ageretur, quod multiplex tum occasio esset talium lenociniorum. Morbi nuper grassati memoriam iniicit vs. 177.

Ὦ κακὰ θνητῶν στυγεραί τε νόσοι,

et morbum potius quam Venerem deam intelligebat, quisquis audiebat versum illum:

Ὡς πολλά, Κύπρι, σῶν κακῶν μεμνήσομαι.

Nonne vero nuper Athenienses didicerant veritatem huius sententiae vss. 186 sqq.

Κρεῖσσον δὲ νοσεῖν ἢ θεραπεύειν·
Τὸ μὲν ἔστιν ἁπλοῦν· τῷ δὲ συνάπτει
Λύπη τε φρενῶν χερσίν τε πόνος.
Πᾶς δ' ὀδυνηρὸς βίος ἀνθρώπων,
Κοὐκ ἔστι πόνων ἀνάπαυσις.

Audi modo de morbo Thucydidem II, 51. quae unusquisque spectatorum expertus erat: Δεινότατον δὲ παντὸς ἦν τοῦ κακοῦ, inquit, ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον καὶ τὸν πλεῖστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει. εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν δεδιότες ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπώλλυντο ἔρημοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσοντος· εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο, καὶ μάλιστα οἱ ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι. αἰσχύνῃ γὰρ ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν, ἐσιόντες παρὰ τοὺς φίλους, ἐπεὶ καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι. Et quid aliud quam consolatio ad eos, qui propinquos et familiares lue absumptos deplorabant, est vss. 191 sqq.

Ἀλλ' ὅ, τι τοῦ ζῆν φίλτερον ἄλλο,
Σκότος ἀμπίσχων κρύπτει νεφέλαις.
Δυσέρωτες δὴ φαινόμεθ' ὄντες
Τοὐδ' ὅ τι τοῦτο στίλβει κατὰ γῆν,
Δι' ἀπειροσύνην ἄλλου βιότου
Κοὐκ ἀπόδειξιν τῶν ὑπὸ γαίας·
Μύθοις δ' ἄλλως φερόμεσθα.

Porro ubi Phaedra lecto imposita pro foribus effertur, et ubi dicit,

Ἔ, ἔ πῶς ἂν δροσερᾶς ἀπὸ κρηνίδος
Καθαρῶν ὑδάτων πόμ' ἀρυσαίμαν;

Atheniensibus haud dubie subiit recordatio aegrotorum, de quibus Thucydides ib. 49. *Τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκάετο, ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μήτ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τ' ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν. Καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἠμεληκότων ἀνθρώπων καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα, ἀπαύστῳ τῇ δίψῃ ξυνεχόμενοι.* Ib. 52. *Καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο καὶ περὶ τὰς κρήνας ἀπάσας ἠμιθνῆτες, τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ.* Et quum Phaedra prope vecors nec sese neque alios videtur nosse, succurrere spectatori poterat, quod idem scriptor tradidit ib. 49. *Τοὺς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε παραυτίκα ἀναστάντας τῶν πάντων ὁμοίως, καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐπιτηδείους.* Postremo vide ne ea, quae apud Euripidem vss. 405 sqq. de corruptione connubiorum dicuntur, inserta sint ad castigandam licentiam morumque effrenationem post morbum natam, qua de re Thucydidis locus est longior ib. 53. quam qui adscribi possit.

Quae qui tenuerit, non negabit operae pretium esse causas indagare interpolationum in repetitis fabularum editionibus: nam inexspectatam hinc lucem subinde exoriri ad alia perspicienda videbit. Ei autem rei, quam

modo exposui, simile quid traditur de *Palamede* Euripidis. Ex ea fertur fragmentum hoc:

Ἐκάνετ' ἐκάνετε
Τὰν πάνσοφον, ὦ Δαναοί,
Τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν
Ἀηδόνα Μουσᾶν,
Τῶν Ἑλλάνων τὸν ἄριστον.

Quae audiens fertur totum theatrum illacrymasse, propterea quod Socrates significaretur: v. Diog. Laert. II, 44. Argum. Isocr. Encom. Busirid. Sed obiit Socrates Ol. XCV, 1. unde Valckenarius Diatr. p. 191. perquam dubitanter de hac re loquitur et ipse ego supra cap. V. extr. nam Euripides jam Ol. XCIII. obiit, et Palamedes Euripidis docta Ol. XCI. secundum Aelian. V. H. II, 8. Schol. Aristoph. Av. 842. citante Musgravio in Chronol. scenic. Itaque aut falsa haec sunt, quod tamen nequeo mihi persuadere: nimis enim illa in Socratem quadrant: aut vere Petitus dixit post mortem Socratis actam esse fabulam: ita tamen, ut iterato tum producta esset, et ea ipsa ab interpolatore, credo, addita fuissent: in quo mea sententia discrepat a Valckenarii, qui cetera similiter iudicavit.

Caput XV.

Explicantur ex historia loci quidam tragicorum, et iudicantur inde aliquot fabularum tempora. De peplo Panathenaico in Ione Euripidis designato, et de peplo Minervae Dresdensis. Quaedam de Gigantomachia.

Mittamus nunc alia, in quibus examen eorum, quae in tragoediis ad res nuperrime gestas sive in populi gratiam dicta sunt, conduci queat, et unum hoc notemus, quantum inde ad invenienda fabularum tempora proficere liceat: qua in re haud primi sumus, sed plura dixerunt ante nos alii, quae tamen accuratiori examini subiicere opus videtur esse: invicem autem ex temporum ratione possunt falsae opiniones de finibus totarum fabularum aut singularum partium refutari. De *Aeschylo* iam dixi quaedam: *Sophoclem* in *Oedipo Tyr.* 883 sqq. Alcibiadis exilium (Ol. XCI, 2.) gratulari civibus putat Musgravius Chronol. scenic. p. 9. Sed hoc falsum

sit necesse est secundum ea, quae cap. XI. explicui. Probabilior res in *Oedipo Coloneo*: quam et civibus Sophoclis magnopere gratam fuisse novimus ex Argumenti scriptore; nec sine causa poeta in Thebanos invehitur gravissime, ut Euripides in Supplicibus, aut ut idem in Heraclidis reprehendit Argivos: qua in fabula Copreus caduceator eandem personam agit, quam impius Creon in Oedipo: ac Supplicum et Colonei Oedipi non absimile argumentum: similiter etiam Sophoclis Oedipus Atheniensibus victoriam de Thebanis velut in manus tradit, atque Adrastus dato iureiurando Argivos Atheniensibus in perpetuum iungit. Actam igitur Oedipum Coloneum eo tempore censeo, quum Thebanos Athenienses summo odio persequerentur: id quod fuit tum quum Euripides doceret Supplices, quam pono continuo post Ol. LXXXIX, 4. Sophocle annum agente LXXV. id quod optime congruit iis, quae de Oedipo Coloneo tradita sunt, licet non iis, quae habentur perinepta ap. Valer. Max. VIII, 7. ext. 12. Ibi enim est de Sophocle: *Prope enim centesimum annum attigit, sub ipsum transitum ad mortem Oedipo Coloneo scripto*: in quo singulis fere vocibus declamatoris indoles cernitur vera parum curans sed ultra modum res exaggerans.

Iam venio ad *Euripid m*, in quo talia omnia clarius spectare licet. Etenim eius in *Supplicibus* quam plurima rerum civilium respectu dicta reperies, ut vss. 187. 190. 232. 321. 410. 510. et ubivis: ac fortasse parte horum locorum pungitur Alcibiades, qui valde tum iuvenis rempublicam gerebat: quod in Andromacham quoque cadere videtur, ubi de iuventute et senecta disseritur vss. 183. 645. 728. 764 sqq. coll. Thucyd. V, 43. Sic populus non sola concione, non Delphico Apolline regebatur, sed Baccho etiam et theatro; et quid miremur hoc, quum hac ipsa aetate, ubi Musae a rebus divinis ac civilibus omnino dissiunctae sunt, de pulpito populum ad patriam ac religiones colendas nostrates hortari sero conati sint? Iam Supplices Barnesius notabili vanitate actam dicit Ol. XC, 3. quo tempore pacem fecerint Argivi et Lacedaemonii: cui rationi nollem accessisset Jacobsius Additt. ad Sulzer. Theor. T. V. P. II, p. 409. Si enim tum docta fabula esset, reprehensi potius, ut in Heraclidis, quam laudati Argivi fuissent: immo acta est tum, quum foedus pangeretur inter Athenienses et Argivos: quod contigit Ol. LXXXIX, 4. propter societatem abs Thebanis ac Lacedaemoniis privatim initam: v. Thucyd. V, 46. 47. post quam Euripides haud dubie docuit tragoediam; praeser-

tim quum vss. 1191 sqq. eadem partim dicantur quae in foedere apud Thucydidem: ac firmatur hoc acerrimo Thebanorum odio, qui tamquam superbissimi ac rudissimi homines describuntur. Cf. Thucyd. V, 36-49. quae ad hoc tempus pertinent. Historico igitur fundamento nititur, quod dicitur de caesis abs Thebanis Argivis: v. Thucyd. l. c. 40. Porro in *Andromacha* summa est Lacedaemoniorum detestatio, ut vs. 446. leguntur haec:

Ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν,
Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια,
Ψευδῶν ἄνακτες, μηχανόῤῥαφοι κακῶν,
Ἑλικτά, κοὐδὲν ὑγιὲς ἀλλὰ πᾶν πέριξ
Φρονοῦντες, ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἀν' Ἑλλάδα·
Τί δ' οὐκ ἐν ὑμῖν ἐστίν; οὐ πλεῖστοι φόνοι;
Οὐκ αἰσχροκερδεῖς, οὐ λέγοντες ἄλλα μέν
Γλώσσῃ, φρονοῦντες δ' ἄλλ' ἐφευρίσκεσθ' ἀεί;
Ὀλοισθ'.

Haec omnia ad eum fere modum dicta, qui in Shakspearii historicis dramatis invenitur. Et dubitari non potest, quin haec Euripidis fabula acta sit post aliquam iniuriam a Lacedaemoniis perfidiose illatam Atheniensibus sive eorum sociis. Neque absurde Sam. Petitus Misc. III, 16. e vss. 733 sqq. (ubi v. Barnes.) colligit doctam Ol. XC, 2. quum Lacedaemonii Argivos invaderent propter ea, quae in Τρω-

zenios Spartae socios perpetraverant. Thucyd. V, 58 sqq. VI, 7. Diod. Sic. XII, 78. Convicia profecto in periuros Lacones quadrant optime, quandoquidem tum Ἀθηναῖοι Ἀλκιβιάδου πείσαντος τῇ Λακωνικῇ στήλῃ ἐπέγραψαν ὅτι οὐκ ἐνέμειναν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῖς ὅρκοις, quod haud dubie factum est feriis quibusdam, et fortasse iis ipsis, quibus acta haec fabula est: ita ut Euripides ad hoc ipsum composuerit eam festinantius, quod factum esse subinde conieci capite praecedente. Et tum vicisse Euripidem Barnesius dicit Vit. Eurip. §. XXVII. sine auctore. Postremo etiam *Heraclidae* ad res publicas pertinet: ex conviciis in Argivos ibi iactis apparet doctam esse, quum bellum Argivi pararent adversus Athenienses: quod longius foret, si vellem singillatim persequi: unus sufficiat locus vs. 285.

Φθείρου· τὸ σὸν γὰρ Ἄργος οὐ δέδοικ' ἐγώ,

etc. Cf. praecipue vss. 354 sqq. 759 sqq. etc. Itaque coniicio actam tragoediam Ol. XC, 3. quum rupto foedere Argivi pacem cum Laconibus facerent, Atheniensibus autem bellum inferrent, efficientibus optimatibus (Thucyd. V, 76 sq.), qui ipsi in Heraclidis Euripidis iniuriam faciunt: anno tamen proximo, restituto Argis populari imperio, cum Atheniensibus in gratiam redeunt (Thucyd. V, 82. coll.

Dodwell. Annal. Thucyd. p. 687.) unde calculus noster fit etiam firmior. Iam qui vel mediocriter poematum formam et indolem insinuare animo, et quid in iis simile, quid dissimile sit, dignoscere didicerit, is tres has fabulas, Supplices, Andromacham, Heraclidas, et idem sentiendi ac scribendi genus eundemque poeseos colorem referre, adeoque non multum diversis et temporibus et conditionibus scriptas esse, utpote quae reipublicae omnes inservirent, et quidem circa Argivos, Thebanos, Lacedaemonios versarentur, animadvertet: ita ut ab hac quoque parte nostris rationibus haud levis accedat confirmatio.

Retractemus nunc locum, quem alia de causa supra cap. VII. plenum adscripsi, in fabula *Ione* vss. 184 sqq. in qua omnino multa dicta sunt ad deliniendas auditorum aures, ut tota illa de Doro et Achaeo disputatio. Agi haec in *porticu Delphica* manifestum est e vs. 184. ubi sunt *εὐχίονες αὐλαί*, et vidit hoc iam Tyrwhittus; Musgravius autem per prolepsin designatam hic putat eam stoam esse, quam devictis ad *Rhium* Lacedaemoniis a Phormione Ol. LXXXVII, 4. (Thucyd. II, 84. Diod. Sic. XII, 48.) Delphis Athenienses aedificarant ex praeda atque ornaverant. Pausan. X, 11, 5. Utrum Rhium sit, nihil interest: Molycricum intelligit Dodwellus Annal. Thucyd.

τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν. Proclus in Plat. Polit. p. 41. Ὁ τῶν Παναθηναίων πέπλος ἔχει τοὺς Γίγαντας νικωμένους ὑπὸ τῶν Ὀλυμπίων θεῶν; et Schol. Plat. l. c. de magnis Panathenaeis: ἐν οἷς πέπλος τις ἀνήγετο τῇ Ἀθηνᾷ, καθ' ὃν ἐδείκνυτο ἡ κατὰ τῶν Γιγάντων ταύτης τε καὶ [ἡ] τῶν Ὀλυμπίων νίκη θεῶν: quae loca deprompsi ex ceterorum numero, quod et *aliorum deorum* in eo praeclara facinora depicta esse demonstrant et speciatim *Olympiorum*. Primae tamen *Minervae* dicatae sunt, unde h. l. vs. 208. post Gigantum mentionem iniectam virgines spectant Pallada ἐπ' Ἐγκελάδῳ γοργωπὸν πάλλουσαν ἴτυν, id est, clypeum, plane ut cernitur in peplo *Minervae Dresdensis* (in Beckeri Augusteo Tab. IX. X. num. V.) et in nummo Seleuciae ad Calycadnum in Cilicia excuso Gordiano III. regnante (v. ibid. p. 74.), ubi tamen Enceladus non, ut in peplo, humana specie ſingitur, sed in draconem desinit. Minervam quidem in peplo Dresdensi aegis statim prodit, estque ibi sola hac armata, ut apud Claudianum in Gigantomachia,

Tritonia virgo
Prosilit, ostendens rutila cum Gorgone pectus:
Aspectu contenta suo non utitur hasta.

Secundum Apollodorum loco infra laudando longe aliis armis utitur: Ἀθηνᾶ δὲ, inquit,

Ἐγκελάδῳ φεύγοντι Σικελίαν ἐπέῤῥιψε νῆσον: quod tamen non contrarium est Claudiano. Nec semper, ut apud hos, pedestris Minerva est in Gigantomachia, sed fingebatur etiam currui insidens, ut est ap. Callimach. Lav. Pallad. vss. 7 sqq. Sic ap. Eurip. Hecub. 466. chorus canit:

Ἥ Παλλάδος ἐν πόλει
Τᾶς καλλιδίφρου Ἀθα-
ναίας ἐν κροκέῳ πέπλῳ
Ζεύξομαι ἅρματι πώλους,
Ἐν δαιδαλέοισι ποι-
κίλλουσ' ἀνθοκρόκοισι πήναις;

Neque aliter repraesentatur Ion. vs. 1527.

Μὰ τὴν παρασπίζουσαν ἅρμασίν ποτε
Νίκην Ἀθανᾶν Ζηνὶ γηγενεῖς ἔπι.

Propter hoc enim proelium Victoriae nomine decorata est, testante Phurnuto fine capitis de Minerva: Καὶ ἐν τῇ πρὸς τοὺς Γίγαντας μάχῃ παραδίδοται ἠριστευκυῖα ἡ Ἀθηνᾶ καὶ Γιγαντόφοντις ἐπονομάζεται (Φλεγραίων ὀλέτειρα Γιγάντων, Orphic. Hymn. XXXII, 12.). Haec est illa θεὰ Παλλὰς ἐν μωνύχοις πτερωτοῖσιν ἅρμασιν Eurip. Iphig. A. 250. Tale fuit etiam signum Minervae Aleae sive Ἱππίας ita vocatae, quod τῷ Μανθουριέων λόγῳ γινο-

μένης τοῖς θεοῖς πρὸς Γίγαντας μάχης ἐπήλασεν Ἐγκελάδῳ ἵππων τὸ ἅρμα, Pausan. VIII, 47, 1. *Enceladus* autem constanter appellatur tanquam Minervae adversarius in peplo, ut praeter Il. Il. apud Schol. Aristoph. Eqq. vs. 563. Καὶ τοῦ πέπλου, οὗ ἐγέγραπτο Ἐγκέλαδος ὃν ἀνεῖλεν ἡ Ἀθηνᾶ· ἦν δὲ εἷς τῶν Γιγάντων. Hinc habet Suidas. Cf. Eurip. Iphig. T. 220 sqq. Herc. fur. 908. et ibi citatum a Barnesio Quintum Smyrnaeum, Apollod. I, 6, 2. quem non in singulis excito: quum omnes noverint ad illum et ad doctissimos in eum commentarios esse cuivis recurrendum. Etiam Gorgona occidisse Minervam in pugna hac Euripides dicit Jon. 989 sqq. Cf. Böttiger. l. c. p. 108. Post Minervam imprimis pater *Iupiter* pingebatur: v. Plutarch. Demetr. p. 894. B. Schol. Eurip. Hecub. l. c. Ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις ὑφαίνειν τὰς ἀριστείας τῆς θεοῦ πολεμικῆς οὔσης καὶ ἃ κατὰ Γιγάντων κατεπράξατο μετὰ τοῦ Διός. Et ita Iupiter in suprema pepli Dresdensis area repraesentatur curru vectus, ut *Typhonem* fulmine prosternit, velut in gemma ap. Gorium Mus. Florent. T. I, t. 57. num. 7. p. 108. coll. Lippert. Dactylioth. Chil. I, num. 27. nam Typhonem vulgo vocant quem Iupiter in Gigantomachia prostraverit: etsi Apollodorus accuratius Typhonem tertio post Gigantas loco a Terra creatum dicit,

Iupiter autem Porphyrionem ceterosque omnes fulmine prostravisse fertur, quos posthac Hercules interficeret sagittis: τοῖς δὲ θεοῖς, inquit, λόγιον ἦν ὑπὸ θεῶν μὲν μηδένα τῶν Γιγάντων ἀπολέσθαι δύνασθαι, συμμαχοῦντος δὲ θνητοῦ τινὸς τελευτήσειν. Tamen apud Claudianum Typhoeus Gigas est, ubi Tellus ait:

> Ite precor, miscete polum, rescindite turres
> Sidereas, rapiat fulmen sceptrumque Typhoeus,
> Enceladi iussis mare serviat.

Et ap. Nonn. II, 32. Atque huic quidem novus Typhoeus est, ab altero distinguendus lib. XLVIII.

> Ἡμαθίης δὲ κάρηνα νέος γύμνωσε Τυφωεύς
> Ὑψιφανὴς προτέρῳ πανομοίϊος.

Apud Nostrum Mimas a Iove prosternitur fulmine, et ap. Aristoph. Av. 1252.

> Εἷς Πορφυρίων αὐτῷ παρέσχε πράγματα,

unde satis apparet, quam vere Apollodorus tradiderit omnes ab eo promiscue divino igne tactos esse. Plura de Jove Gigantum domitore v. ap. Diod. Sic. V, 71. Praeterea nostro Ionis loco *Bacchi* facinus celebratur, qui ἄλλον ἀπολέμοισι κισσίνοισι βάκτροις ἐναίρει γᾶς τέκνον; quem potissimum spectans Gigantomachiam

Nonnus describit Dionysiacorum XLVIII. ubi, postquam dixit, quibus verbis mater Gigantas hortatus sit (fere ut apud Claudianum), Bacchi arma ita describit, ut Euripides habet:

Ἡμερίδων δὲ κόρυμβον ἔχων ὀλετῆρα Γιγάντων
Βάκχος ἀερσιλόφοις κατέτρεχεν Ἀλκυονῆος,
Οὐ δόρυ θοῦρον ἔχων, οὐ φοίνιον ἆορ ἀείρων,
Ἀλλὰ πολυσπερέας παλάμας ἐδάϊξε Γιγάντων,
Αἰχμάζων ἑλίκεσσι, φιλακρήτῳ δὲ κυπέλλῳ
Φρικτὰ πεδοτρεφέων ἐδαΐζετο φῦλα δρακόντων.

Paullo tamen post et face pugnat, ubi et Enceladus memoratur fulmine prostratus: huc autem praeterea facit, quod mox sequitur:

Καί τινος ἀσπαίροντος ἐπὶ χθονὸς ἆορ ἐρύσσας
Βάκχος ἄναξ κεκόρυστο Γιγαντείοισι καρήνοις,
Ἰοβόλων πλοκάμων ὀφιώδεα λήϊα κείρων·
Καὶ στρατὸν αὐτοκέλευστον ἀτεύχεϊ χειρὶ δαΐζων
Μάρνατο λυσσήεις χλοερῶν ἐπιβήτορα δένδρων
Κισσὸν ἔχων τανύφυλλον ἀκοντιστῆρα Γιγάντων,
Καὶ νύ κε πάντας ἔπεφνεν ἑῷ ῥηξήνορι θύρσῳ,

etc. Quod autem nostro loco Bacchi iniecta mentio est, magis etiam placebit, ubi in animum induxeris ei tragoediam consecratam fuisse. In peplo tamen Dresdensi Bacchum

non agnosco, sed eius loco in secunda area *Silenus* designatus est, prodentibus eum auribus, de quibus v. Creuzerum nostrum in praeclarissima diatribe Studiorum T. II, p. 310. Quem Silenum notum est asino insidentem venisse ad pugnam una cum Baccho, Satyris ac Vulcano: quorum deinceps asini in coelo positi sunt. Eratosth. Catasterism. 11. Hygin. poet. astronom. II, 23. Eum autem artifex facete finxit tanquam prope victum et demissis, ut dicitur, auriculis, quum Satyri superbi quidem et gloriosi milites velint videri, revera autem sint inertes atque imbelles, quod tota Euripidis Cyclops ostendit, apud quem vs. 5. gloriatur Silenus Bacchum invocans:

> Ἔπειτα γ' ἀμφὶ γηγενῆ μάχην δορός,
> Ἐνδέξιος σῷ ποδὶ παρασπιστὴς γεγώς
> Ἐγκέλαδον ἰτέαν εἰς μέσην θένων δορί
> Ἔκτεινα.

ipse posthac unum se praebens e genere *οὐτιδανῶν Σατύρων καὶ ἀμηχανοέργων*, ut vocat Hesiodus ap. Strab. X, p. 471. Ceterae figurae magis dubiae: nam multi dei fuerunt in eo proelio clari. Horatius Carm. III, 4, 53 sqq.

> Sed quid Typhoeus et validus Mimas
> Aut quid minaci Porphyrion statu
> Quid Rhoetus evulsisque truncis
> Enceladus iaculator audax

Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus, hinc matrona Iuno; et
Numquam humeris positurus arcum
— Delius et Patareus Apollo.

Ex quibus in tertia area Dresdensis pepli *Vulcanus*, in sexta formae gravitate ac fastu *Iuno* agnosci videtur: in octava, ni fallor, *Venus* est, quippe Olympiarum dearum una: in decima agilitate sua furoreque agnoscitur *Diana*. In nona, credo, est *Hercules*, sed more veterum non clava nec sagittis, nec leonina pelle insignis (cf. Strabo XV, p. 688.), ut in nonnullis etiam superstitum monumentorum; sed ut homo pallio amictus, ut distinguatur a diis: neque offendet quemquam, quod nullum omnino telum habet, quum ne ceterorum quidem quisquam praeter Minervam armatus sit; nec quod Iovis curru non vehitur, ut fingitur ap. Eurip. Herc. fur. 177.

Διὸς κεραυνὸν δ' ἡγόμην τέθριππά τε,
Ἐν οἷς βεβηκὼς τοῖσι γῆς βλαστήμασιν
Γίγασι, πλευροῖς πτήν' ἐναρμόσας βέλη
Τὸν καλλίνικον μετὰ θεῶν ἐκώμασεν:

ita enim etiam in Minerva esse ostendi. Pallium autem magnificentius Herculi tribuitur etiam ap. Eurip. Herc. fur. vss. 519. 627. 629. 959. 1159. 1198. 1204. deque eius Gigantomachia

vide praeterea Pindar. Nem. I, 100, et ibi Schol. Eurip. Herc. fur. vss. 853. 1190. 1272. Ceterae tres figurae repraesentare videntur *Martem*, *Apollinem*, *Mercurium*: nam inferis diis, Plutoni ac Proserpinae, quos superis opitulatos esse apud Claudianum legimus, item Neptuno, quem Apollodorus habet, postremo Parcis, quas alii nominant, nullus videtur in hoc peplo locus esse.

Hactenus de Gigantomachia: sed alia quoque praeclara Minervae gesta in peplo Panathenaico videntur descripta fuisse, teste quidem Schol. Hecub. l. c. et Auctore carminis Virgiliani, cui nomen Ciris vs. 29.

> Ergo *Palladiae texuntur ex ordine pugnae*,
> Magna Giganteis ornantur pepla tropaeis;
> Horrida sanguineo pinguntur proelia cocco,
> Additur aurata deiectus cuspide Typho,

etc. Quae quum ita sint, verisimile est ea quoque adiecta fuisse, quae heroes Minerva opitulante strenue gesserint. Ex quibus duo depromo, quorum in Ionis loco mentio fit, alterum vss. 190 sqq. *Herculis pugnam cum Hydra Lernaea*, quam aggressus fertur Palladis consilio (Hygin. Fab. 30. Pausan. V, 17.), alterum *Bellerophontae caedem Chimaerae* vss. 201 sqq. in qua adiutus est ab eadem. Et Herculem sane atque Iolaum Attico peplo inseri solitos esse ipsae testantur Creusae famulae

dicentes, Ἆρ' ὃς ἐμαῖσι παρὰ πήναις κ. τ. λ. Propter quam heroum multitudinem etiam Aristoteles suum Peplum hoc vocavit nomine: de hoc v. Fabric. Bibl. Gr. T. III, p. 275. Immo non soli heroes, sed ipsi *cives*, qui pro patria fortiter pugnantes reipublicae sive gloriam sive commoda auxerant, honore pepli huius fruebantur. Aristophanes testis Eqq. 563.

Εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν ὅτι Ἄνδρες ἦσαν τῆσδε τῆς γῆς ἄξιοι καὶ τοῦ πέπλου.

Ubi Schol. Νικήσαντες πέπλον ἐποίησαν τῇ Ἀθηνᾷ καὶ ἐνέθεντο τὰς ἀριστείας ἐν αὐτῷ, errore is veritatem velans, quam magis etiam detorsit Suidas sic efferens: ἢ ὅτι νικήσαντες οἱ Ἀθηναῖοι πέπλον ἐωοίησαν τῇ Ἀθηνᾷ καὶ ἐνέγραψαν τοὺς ἀρίστους ἐν αὐτῷ. Sed optime doctus grammaticus Servius ad Virgil. Aen. I, 484. *Peplum Minervae consecratum erat: in hoc depingebantur ex more apud Athenienses, qui strenue se in bello gessissent.* Quo etiam ducit adulatio Atheniensium Demetrium Phalereum et Antigonum peplo inscribentium, qua de re v. Diodor. XX, p. 757. B. marg. Rhodom. Plutarch. Demetr. p. 893. D. p. 894. B. coll. Virgilian. Cir. vs. 21 sqq. quamquam inde apparet una, quam raro hoc fa-

ctum sit, quamque piaculum habitum, si quem indignum hoc decore ornarent. Quibus iam in unum collectis etiam clarius fit, aptissime tale peplum victoriae causa pro donario Delphos misisse Athenienses. Eodem autem anno, quo factum hoc est, *Magna Panathenaea* celebrata sunt, quae agebantur ante Olympicos ludos XX diebus: ludi Olympici inibant XI. Hecatombaeonis: igitur Panathenaea magna acta XX. Scirophorionis anni quarti Olympiadis cuiusque. V. Dodwell. Annal. Thucyd. p. 681. Quapropter si hoc anno acta fabula est, inprimis grata fuerit Atheniensibus Panathenaici pepli descriptio, nec minus, quod vs. 1137. *Parthenon*, in quo deponebatur peplus ille, significatus est, in quoque latere pedes centum, eareque in plano decem millia pedum habens. V. Musgravii notam egregiam ad h. l. Etiam Plutarchus Pericl. p. 159. E. Parthenona vocat ἑκατόμπεδον, a Pericle aedificatum: ut non curemus alia, quae de eius mensura dicuntur, de quibus v. Potteri Archaeol. I, 8. Quibus positis, Panathenaeis actam Ionem dicerem esse, nisi omnino nullae his feriis datae fabulae esse viderentur. Ita Iphigeniam Tauricam, Orestem, Electram in festo Χόων actas putem esse (v. Iphig. T. vss. 958—960. et ibi Io. Brodaeum, Electr. vss. 1254 sqq.),

etsi in Lenaeis repetitas fabulas doceri solitas esse noverim: cuius rei causam aperit Valckenarius Diatr. p. 14. Barthelemius Anachars. T. VI, p. 69. ed. Paris. alterius: nam novas etiam datas fuisse demonstrabo continuo.

CAPUT XVI.

Feriae, quibus fabulae doceri solitae. Sophoclis et Euripidis obitus diligentius definitus. Didascalica alia.

Quae hactenus explicui licet omnia coniuncta sint cum quaestione nostra de interpolatione dramatum, tamen ea coniunctio valde saepe laxa et longinqua est: hoc autem capite iam proponam talia, quibus continuo post in ipsa re utar; et versabitur hoc totum in demonstrandis, quam fieri poterit, accuratissime tribus his terminis, quorum duo primi propter tertium potissimum inveniendi sunt: primo, *Euripidem defunctum Callia Archonte Ol. XCIII.* 3. *ante mensem Posideonem*, id est, *ante*

obitum Sophoclis medio Posideone accidentem Liberalibus Piraeensibus; altero, *Ranas docuisse Aristophanem eodem anno, Chytris, medio Anthesterione;* denique tertio, *Iphigeniam Aulidensem, Alcmaeonem, Bacchas una actas non ante magna Dionysia eiusdem anni, medio mense Elaphebolione.* Sed priusquam ad haec accedam, mihi cum lectore conveniendum erit de *Bacchicis festis*, de quibus superiore demum seculo accuratius disputatum est a duumviris peritissimis, Dav. Ruhnkenio ad calcem Hesychii, et Barthelemio in Commentt. Acad. Inscriptt. T. XXXIX, p. 172. ita tamen ut posthac nonnulla addere potuerit vir egregius mihique amicissimus Spaldingius Praef. ad Demosth. Midian. p. XIII sqq. Convenit nunc inter omnes, tria fuisse harum feriarum genera: *Ruralia Dionysia, Lenaea sive Anthesteria*, qui tres sunt dies suo quisque nomine distincti, et *Liberalia Magna sive Urbana:* ex quibus Ruralia celebrata a die XIX. mensis Posideonis; Anthesteria Anthesterione mense per triduum, die XI. Pithoegia, XII. Choes, XIII. Chytri; postremo Urbana per quatriduum, mensis Elaphebolionis circiter XI-XIV. Dramata autem et tragica et comica acta sunt Urbanis et Lenaeorum diebus Χόων et Χύτρων: Lenaeis tamen saepe tragoediae et credo etiam comoediae tantum repetitae

sunt: attamen et novae tragoediae, vt novae comoediae datae: exemplo est Agathonis drama primum victoriam ferens, de quo v. cap. VIII. Sed Barthelemius etiam *Piraeensibus Dionysiis* actas fabulas dicit, et nititur Decreto Euegori ap. Demosth. in Midiam p. 517. Reisk. quando tamen celebrata sint, ignorat. Cui optime subvenit Spaldingius l. c. p. XVI. docens Διονύσια ἐν Πειραιοῖ non alia esse quam Ruralia: etenim haec in demis agi, Piraeeum autem demum esse tribus Hippothoontidis: et eiusdem ei generis videntur fuisse τὰ ἐν Βραυρῶνι Διονύσια. Verum Piraeensia Liberalia, ceteris Ruralibus magnificentiora, comoedorum ac tragoedorum certamina habuerunt. In eo enim et Barthelemius et Spaldingius errant, quod Piraeensia Liberalia uno Demosthenis loco commemorari putant, quum ad ea pertineat locus Aeliani V. H. II, 13. de Socrate: Εἴποτε Εὐριπίδης — ἠγωνίζετο καινοῖς τραγῳδοῖς, τότε γε ἀφικνεῖτο. καὶ Πειραιοῖ δὲ ἀγωνιζομένου τοῦ Εὐριπίδου καὶ ἐκεῖ κατῆει. Quem locum quum Valckenarius Piraeensium Liberalium mentionem fieri ignarus Diatr. p. 14. misere vexaret, haud mirum est hoc eum probare non potuisse Ruhnkenio harum rerum peritissimo. Et theatrum fuit in Piraeeo (v. Meursii Pir. c. VI.): unde collegeris fabulas ibi commissas fuisse, etiam absque di-

sertis testimoniis si foret. Quid quod in aliis quoque demis acta dramata sunt? Nam in *Munychia* quidem, quae et ipsa inter demos est, Dionysiacum theatrum fuit a Piraeensi distinguendum (v. Meurs. l. c. c. IX.), et in *Colytto* Aeschines egit fabulas, teste Demosthene de cor. c. 55. quamquam ignobile fuit hoc quidem loco dramata repraesentare. Iam his rationibus apparet, quod adhuc nemo explicavit, etiam Ruralibus Dionysiis, mense Posideone, et tragoedias et comoedias actas fuisse, et credo novas atque iteratas promiscue, ut in Lenaeis. Restant *Panathenaea*, quibus data dramata esse credunt nonnulli ex Diog. L. III, 56. (descripsit Suidas v. τετραλογία) auctore Thrasyllo, ut putabat Barthelemius. Probabile olim videbatur cum Minerva, artium praeside, fabulas Bacchum communes habuisse, certe tragoediam, castissimas eius aures minime laedentem, et in ea sententia multi egregii viri fuerunt, vt Bentleius Epist. ad Mill. p. 463. Lips. Böttigerus de fur. pers. p. 8. etsi contra Casaubono de satyr. poes. I, 5. p. 161. Panathenaea etiam Baccho sacra fuisse propter illud ipsum videbantur. Et si Barnesium audimus vit. Eurip. §. XXVI., Ol. LXXXIV, 3. Diphilo Archonte Euripides vicit Panathenaeis secundum Marmora Oxoniensia, in quibus tamen nulla fit Panathenaeorum mentio. Iam primus

Barthelemius dubitavit, assentientibus, immo etiam confidentius pronunciantibus pluribus, ut praeceptore nostro Fr. Aug. Wolfio, carissimo viro, Prolegg. ad Demosth. Leptin. p. XC., an omnino Panathenaeis actae fabulae sint; et Francogallus usus argumentis est, quae haud facile refutes: quibus unum et illud gravissimum nuper adiecit Eichstadius de dram. comico-satyric. Addend. ad p. 29. monens acutissime, festorum nomina ap. Diog. L. non abs Thrasyllo profecta esse (hoc enim voluit, licet aliud dixerit), sed ab interpolatore, adstipulante Wolfio Prolegg. ad Homer. p. CXI: quem ego interpolatorem potius compilatorem Diogenem dixerim, qui ea nomina loco ex Thrasylleis ducto interposuisse videtur. Haec igitur res de actis Panathenaeis fabulis ineptissimi sane hominis testimonio nititur: quapropter huic quidem fundamento nihil superstruxerim. Praeterea Barnesius Vit. Eurip. §. XXVII. Vespas Aristophanis actam primum dicit *Olympiis* in Urbe, secundo Lenaeis, usus Argumento Vesp. ubi est: Ἐδιδάχθη — ἐν τῇ πόλει Ὀλυμπίων, ἦν β' εἰς Λήναια, ex quo tamen obscurissimo loco alia omnia prius colligerem quam hoc, etsi non ignoro ap. Diog. L. III, 5. Ὀλυμπιακὸν θέατρον memorari, ubi quidem nunc dudum ex libris restitutum est Διονυσιακόν.

Iam venio ad tria illa, quae posui, demonstranda. De *Ranis* auctor est scriptor Didascaliarum Argum. Ran. editam prodens ἐπὶ Καλλίου Ἄρχοντος τοῦ μετ' Ἀντιγένη ἐπὶ Ληναίῳ. Bis quidem commissa est eodem teste: verum nostram, quae superest, eo tempore actam dicit. E vs. 217. Ruhnkenius optime colligit actam Chytris, qui dies est Lenaeorum tertius, Anthesterionis decimus tertius. Hac in fabula *Sophocles et Euripides* memorantur tamquam defuncti: quando obierint, non traditur accurate. In Euripide ipse annus in ambiguo iacet: Valckenarius Diatr. p. 191. ponit Ol. XCIII, 1, nulla addita ratione, quam equidem nec scio nec cupio magnopere scire. Marmor Parium nominat Ol. XCIII, 2. Archonte Antigene, Apollodorus Chronographus ap. Diodor. XIII, 103. ponit Ol. XCIII, 3. Archonte Callia. Haec eo ducunt, in confinio utriusque anni obiisse Euripidem, hoc est, aut extremo anno secundo aut ineunte anno tertio. Verum posteriori sententiae plures patrocinantur, ut Timaeus historicus, qui ap. Plutarch. Symposs. VIII, p. 717. C. defunctum Euripidem tradit eodem die, quo tyrannidem occupavit Dionysius, quod factum anno tertio. Sic quidem locum Plutarchi ostendit intelligendum Wesselingius ad Diod. l. c. Et Tragicus quidem obiit ante Posideo-

nem, adeoque ante hunc mensem Dionysius tyrannidem invasit. Rationes sunt hae. Diodorus dicit l. c. ad Ol. XCIII, 3. Περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐτελεύτησε Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλου, ποιητὴς τραγῳδιῶν, ἔτη βιώσας ἐννενήκοντα, νίκας δὲ ἔχων ὀκτωκαίδεκα. Φασὶ δὲ τὸν ἄνδρα τοῦτον τὴν ἐσχάτην τραγῳδίαν εἰσαγαγόντα καὶ νικήσαντα χαρᾷ περιπεσεῖν ἀνυπερβλήτῳ, δι' ἣν καὶ τελευτῆσαι. Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ τὴν χρονικὴν σύνταξιν πραγματευσάμενος φησὶ καὶ τὸν Εὐριπίδην κατὰ τὸν αὐτὸν ἐνιαυτὸν τελευτῆσαι. τινὲς δὲ λέγουσι παρ' Ἀρχελάῳ τῷ βασιλεῖ Μακεδόνων κατὰ τὴν χώραν ἐξελθόντα κυσὶ περιπεσεῖν καὶ διασπασθῆναι μικρῷ πρόσθεν τούτων τῶν χρόνων. Ex Diodoro habet Scaliger Ol. descr. Hi igitur uno consensu ante Sophoclem vitam reliquisse Euripidem testantur: neque aliter Suidas: τελευτᾷ δὲ μετὰ Εὐριπίδην ἐτῶν ἐννενήκοντα. Cf. Aristoph. Ran. 802 sqq. Perperam Lessingius vit. Sophocl. p. 402. Firmat denique Thom. M. vit. Eurip. Φασὶ δὲ ἐπὶ τῷ ἀκούσματι τῆς Εὐριπίδου τελευτῆς τοὺς μὲν Ἀθηναίους πάντας πενθῆσαι, Σοφοκλέα δὲ αὐτὸν μὲν καὶ φαιὸν ἐνδεδύσθαι χιτῶνα, τοὺς δὲ ὑποκριτὰς αὐτοῦ ἀστεφανώτους τῷ τότε εἰσαγαγεῖν πρὸς τὸν ἀγῶνα. Cui narrationi non multum quidem tribuit Iacobsius Additt. ad Sulzeri Theor. T. V, P. II, p. 337. fluxit tamen

aliquid saltem ex antiquis haud dubie monumentis, et certe docuisse Sophoclem post Euripidis fata Thomas demonstrat: cuius mihi non magna quidem auctoritas est, sed maior tamen quam Sabirii Pollionis in spuriis Euripidis epistolis, in quibus ille multa temere finxit. Accedit Appuleius Apol. p. 298. *Sophoclem* appellans *Euripidis aemulum ac superstitem.* Sed quum et Sophocles et Euripides vita cesserint Ol. XCIII, 3. ante Anthesterionem, quo mense Comicus Ranas docuit, necesse est utrumque etiam tum iam defunctum fuisse, quum Aristophanes inciperet Ranas scribere, hoc est, saltem ante Gamelionem, quod Comicus ad meditandam fabulam, perficiendam, docendam uno minime mense opus habebat. Iam tragoediae actae nonnisi Ruralibus Dionysiis, Anthesteriis, Liberalibus Magnis: at haec duo celebrantur post Gamelionem: sola Ruralia sunt ante hunc, mense Posideone; itaque Sophoclis ultima fabula (Antigonam dicit Satyrus loco laudando, intellige repetitam, quod vellem non fugisset Wesselingium ad Diod. l. c.), qua luxit Euripidem, post quamque ipse obiit sive gaudio immodico correptus (testibus Satyro Peripatetico ap. Auct. vit. Sophocl. Diodoro l. c. et Valerio Max. IX, 12. ext. 5.), sive alio quocunque casu, ea igitur docta est ipsis Διονυ-

σίοις τοῖς κατ' ἀγροὺς, in Piraeeo, opinor, mense Posideone Ol. XCIII, 3. Itaque Euripides diem supremum obiit Ol. XCIII, 3. ante Liberalia Ruralia, nescio quo mense, sed si recte supra conieci, sub anni initium. Hactenus nihil dixi, quod non confirmassem fide historiae; et possunt hinc cetera iudicari, quae de Sophoclis obitu traduntur. Primum Satyrus mira nobis narrat de lectionis fatigatione, qua absumptus poeta fuerit. Illumne nonagenarium lectitasse fabulas publice, qui vel iuvenis ne ageret quidem unas vel alteras partes propter tenellam et exilem vocem? V. Lessing. vit. Soph. p. 360. Opponat aliquis aliam de causa mortis Sophoclis narrationem, quam habent Sotades ap. Stob. Serm. p. 528. ac Lucianus Macrob. c. 24. T. III, p. 226. Reitz. sed melius Scriptor vitae Sophocl. Τελευτῆσαι δὲ αὐτὸν Ἴστρος καὶ Νεάνθης φασὶ τοῦτον τὸν τρόπον. Καλλιπίδην ὑποκριτὴν ἀπὸ ἐργασίας ἐξ Ὀποῦντος ἥκοντα παρὰ τοὺς Χόας πέμψαι αὐτῷ σταφυλὴν, τὸν δὲ Σοφοκλέα λαβόντα καὶ βαλόντα εἰς τὸ στόμα ῥᾶγα ἔτι ὀμφακίζουσαν, ὑπὸ τοῦ ἄγαν γήρως ἀποπνιγέντα τελευτῆσαι. Nugas promit, ut solet, Sam. Petitus Legg. Att. p. 72. de χοαῖς sive *mensis secundis* deque acta tum in Panathenaeis fabula, quas dudum refutarunt docti. Res haec est. Χόας Lenaeaque eadem quae Ruralia Dionysia non-

nulli habuerunt, ut unus ex Scholiastis Aristophanis: v. Barthelem. l. c. p. 176. Idem credo hic est factum: pro festo Χόων ponamus Dionysia τὰ κατ' ἀγρούς, et consentient omnia: tum uvae a Callipide missae, edit Sophocles post actam fabulam in convivio celebrari solito ob victoriam scenicam, ut vides ex Platonis Symposio: postea infeliciter obiit, sive casu hoc sive nimia animi laetitia abreptus: nam de ea re statim post eius obitum variae narrationes circumferri poterant, ex quibus fluxit quidquid ad nos pervenit hac de re proditum, inter alia illud Pausaniae I, 21, 2. Hactenus haec, et spero unumquemque, qui probe perpenderit, nobiscum facturum esse. Postremo, ut tertium absolvam, *Iphigenia in Aulide cum Bacchis et Alcmaeone* acta est post fata Euripidis, ἐν ἄστει, hoc est, Liberalibus Urbanis, ut testatur Schol. Aristoph. Ran. 67. Annus non definitur: refertur autem a chronographis ad Ol. XCIII, 4. Quidni potius ad Ol. XCIII, 3.? Verum utut est, certe non editae sunt *ante* Ol. XCIII, 3. medio mense Elaphebolione, qui est proximus ab Anthesterione: nondum enim tum quum Ranas doceret Aristophanes, Anthesteriis, ulla Euripidis defuncti fabula edita fuit. Testis Aristophanes Ran. 890.

ΑΙΣΧΥΛ. Ἐβουλόμην μὲν οὐκ ἐρίζειν ἐνθάδε.
Οὐκ ἐξίσου γάρ ἐστιν ὠγὼν νῷν. ΔΙΟΝΥΣ. Τιή;
ΑΙΣΧΥΛ. Ὅτι ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι,
Τούτῳ δὲ συντέθνηκεν, ὥςθ' ἕξει λέγειν.

CAPUT XVII.

Iphigeniae Aulidensis editio duplex; quae nunc habetur, est posterior. Ea et Alcmaeon bis commissae. Quando acta Taurica Iphigenia sit. Eius quae superest, Aulidensis Iphigeniae auctor non est Euripides Mnesarchi.

Musgravius quum primus videret Iphigeniae Aulidensis principium parum Euripideum esse, quippe ab anapaestis incipiens, omnibus huius poetae tragoediis ab iambicis initium ducentibus, praemissis prologis: deesse prologum opinatus est ac temporis iniuria periisse, id quod in Rheso contigit; et huic accessit, vt minores praetermittam, princeps criticus Ier. Marklandus in notis ad drama hoc, quos nuper secutus est Beckius in diatribe de Rheso §. 8. Quorum primus senten-

tiam suam firmat Aeliani potissimum loco, qui recitatis aliquot Sophoclis versibus Hist. Anim. VII, 39. ita pergit: Καὶ ταῦτα μὲν ὁ τοῦ Σοφίλου ἐν τοῖς Ἀλωάδαις . ὁ δὲ Εὐριπίδης ἐν τῇ Ἰφιγενείᾳ·

> Ἔλαφον δ' Ἀχαιῶν χερσὶν ἐνθήσω φίλαις
> Κερουῦσσαν ἣν σφάζοντες αὐχήσουσι σὴν
> Σφάζειν θυγατέρα.

Haec ex Euripideo Iphigeniae Aulidensis prologo esse negari non possunt, in quo prologo huius poetae more Diana spectatoribus eventura praenunciabat: notandum enim nunquam apud Euripidem personam prologum agentem vaticinari casus futuros, nisi deus sit aut daemon; ubicunque vero deus agat, ibi et eventura praedici, excepta Danae, in qua tamen Mercurius non tam deus est humanas res gubernans, quam Iovis minister ac nuncius. Porro nullo modo Aelianus errare potuit in citando Euripidis loco, quum ita diserte nominet Euripidem statim post Sophoclis iniectam mentionem, quumque alia quoque e Mnesarchidae tragoediis adiiciat. Itaque Sophoclis quidem locus non potest esse, sed ne Aeschyli quidem, propterea quod prologos, in quibus futura nunciantur, nec Sophocles neque Aeschylus, sed unus habet Euripides. Cf. Valck. Diatr. p. 92. Accedit glossa Hesychii:

Ἄθραυστα, ἀπρόσκοπα. Εὐριπίδης Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Αὐλίδι, in qua nusquam haec vox reperitur. Dicas, confusus apud Hesychium Euripides est cum Aeschylo aut Sophocle, ut in alia eiusdem glossa: Ἀπαρθένευτα, οὐ πρέποντα παρθένοις. Σοφοκλῆς Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Αὐλίδι, ubi leg. Εὐριπιδης, apud quem extat vs. 993. Sed hic non potest hoc factum esse, quum Aeschyli et Sophoclis nec sit nec fuerit ulla in Aulide Iphigenia. At, inquis, Hemsterhusius ad Hesych. T. I, p. 730. huius dramatis vs. 37., consentiente Valckenario ad Herodot. p. 193. restituit ἄψαιτ' ἄθραυστα p. ἄψαιτ' ἄριστα: contra quod Musgravius ad l. c. monuit perquam levia. Attamen nos valde dubitamus de veritate huius correctionis: eum credo versum si significasset Grammaticus, non interpretatus fuisset ἀπρόσκοπα, sed ἀπροσκόπως aut potius ἀσφαλῶς. Hae igitur rationes sunt, cur tragoediae prologus putetur deperditus esse: at pluribus iisque gravissimis argumentis demonstrare possum, eam, quae nunc fertur, fabulam prologum habere non potuisse. Legas modo vss. 49-114. et concedes, si praecessisset prologus, quae ibi Agamemno narrat, non hic sed in ipso prologo exposita fuisse additis quibusdam, quae ex Dianae persona manarent: quippe quum in eo prologo, ex quo illud fragmen-

tum desumptum est, totius actionis exitus laetissimus praedictus esset, necesse erat in eo hoc quoque referre, qua ratione in res ita desperatas Agamemno et filia Iphigenia coniecti fuerint: quod et per se consentaneum est et confirmatur usu Euripidis, in quotquot fabulis futura praedicat, statum causae, ut ita dicam, res hactenus gestas, quae eo faciant aliquid, et argumentum aperiente: quemadmodum egit in Hippolyto, in Hecuba, Bacchis, Ione, Troasin, Alcestide. Itaque quidquid de ortu et de procis nuptiisque Helenae deque iureiurando Tyndaro dato, de Paridis raptu, de collectione exercitus ad expugnandam Troiam, de imperio Agamemnoni delato, de Calchantis augurio Iphigeniam Dianae victimam deposcentis, de commentitio Achillis connubio nunc pater narrat, id Dianam poeta in prologo proferentem fecisset haud dubie; immo quatuor primi versus duobus verbis mutatis poterant recitari a Diana prologum agente, postquam, quae esset, spectatoribus patefecerat (vss. 49 sqq.):

Ἐγένοντο Λήδᾳ Θεστιάδι τρεῖς πάρθενοι,
Φοίβη Κλυταιμνήστρα τ' ἄλοχος Ἀγαμέμνονος
Ἑλένη τε· ταύτης οἱ τὰ πρῶτ' ὠλβισμένοι
Μνηστῆρες ἦλθον Ἑλλάδος νεανίαι.

Et sic plura. Aut igitur prologum non habuit

Aulidensis Iphigenia, aut hic totus locus olim aliter lectus est: at Euripidis hanc fabulam sane prologum habuisse apparet ex Aeliano: itaque hic locus olim non ita scriptus fuit, hoc est, duae fuerunt editiones fabulae, quarum altera habuit prologum, altera prologi loco Agamemnonis verba, quae nunc leguntur, posita. Argumento huic satis tuto accedit aliud, quod Aristophanes Ran. 1309. in centone Euripideo, pronunciato ab Aeschylo, ponit hos versus:

> Ἀλκυόνες αἳ παρ' ἀεννάοις θαλάσσης
> Κύμασι στωμύλλετε,
> Τέγγουσαι νοτερῆς πτερῶν
> Ῥανίσι χρόα δροσιζόμεναι.

Ubi Schol. Ἔστι δὲ τὸ προεγκείμενον ἐξ Ἰφιγενείας τῆς ἐν Αὐλίδι. Intelligitur quidem facile, in illo centone non multos Euripidis versus deinceps positos recitari, sed hinc illinc correptos iungi, quod et diserte tradit Schol. h. l. Διὰ τοῦ στωμύλλετε πάλιν, εἰς αὐτὸν παίζει. ἐξ ἄλλων δὲ καὶ ἄλλων Εὐριπίδου δραμάτων κόμματα τίθησιν καὶ οὐδὲν κατὰ τὸ ἑξῆς λέγει μέλος: ne tamen putes solum verbum στωμύλλετε ex Euripide desumptum significari; quamquam ne hoc quidem in Aulidensi extat Iphigenia. Berglero Iphigeniae Tauricae vs. 1096. videtur respici, ubi habes;

Ὄρνις ἃ παρὰ τὰς πετρίνας
Πόντου δειράδας ἀλκυὼν
Ἔλεγον οἰκτρὸν ἀείδεις.

Addit etiam haec:

Λίμναν εἰλίσσουσαν ὕδωρ
Κύκνειον,

scilicet quod et vox εἰλίσσειν legitur in centone apud Aristophanem. At multo rectius iudicat Brunckius: *Sed aliud quid*, ait, *respexisse videtur Comicus: nam quae hic profert, nimium quantum ab Euripideis immutata sunt.* Et aequo iure, ut hoc addam, poterat Berglerus expressam dicere dictionem εἰλίσσουσα πόδα Iphig. T. vs. 1145. aut ῥανίσι vs. 643. aut νοτερὸν vs. 1041. sed haec quum ridicula sint, tantum abest ut unam aut alteram vocem Comicum putem hic ex Euripide sumpsisse, eum ut etiam quatuor integros versus, paucis opinor perversis, abs Tragico mutuatum censeam esse. Et Musgravius, quum fere in eadem, qua nos, sententia esset, excidisse hos versus suspicabatur ante vs. 164., loco ita continuato:

Ἀλκυόνες αἳ παρ' ἀεννάοις θαλάσσης
Κύμασι στωμύλλετε,
Τέγγουσαι νοτερῇς πτερῶν
Ῥανίσι χρόα δροσιζόμεναι,

Ἕμολον ἀμφὶ παραιτίαν
Ψάμαθον Αὐλίδος ἐναλίας,

et sic deinceps. Verum ut concedam haec ita posse continuari, id quod omnino negare ausim; tamen integra sunt epodica, quae inde a vs. 164. leguntur, nec quidquam adiici strophae sinit antistropha. Ergo nihil relinquitur nisi respici ab Aristophane Euripidis Aulidensem Iphigeniam a nostra plane diversam.

Haec ego dudum scripseram, sed ut natura sum cautus et timidus, mihi ipsi parum confisus eram: si alium eadem per se invenisse reperissem, tum demum ea pro plane veris habere constitueram. Et ecce paullo quidem aliter, sed idem tamen disserentem vidi virum mihi imprimis faventem Eichstadium in elegantissimo libro de Dramate Graecorum comico-satyrico, cuius verba, ne his lectores fraudarentur, apposui integra. *Iphigeniae Aulidensis Prologum*, inquit p. 99. *temporis iniuria intercidisse putabat Prevostus (Théatr. d. Grecs T. VII, p.* 121.), *Musgravii* (*ad Euripid. T. III, p.* 373.) *sententiam secutus, qui partem eius detexisse sibi videbatur in Aeliani H. A. VII*, 39. *p.* 245. *ed. Schneider. Isto autem prologo non arbitror eam fuisse tragoediam instructam, quae hodie legitur: in quà poeta illustriore quodam et ad probabilitatem*

aptiore propositionis genere usus, prologum ita coniugavit cum actione, ut eorum, quae fabulam antecessissent, narrationem non praefigeret exordio, sed insereret vs. 49 - 114. *Quamquam enim Euripides in separatis illis prologis, quos fabulis praeposuit, non acquievit sic, ut dramatica plane supersederet actionis inductione: tamen huius ambitum angustioribus fere limitibus circumscripsit, nec quae in Prologo esset persecutus, in ea copiosius repetiit. Quid? quod reperiuntur tragoediae, in quibus, dempto prologo, expositio dramatica argumenti ne satis quidem dilucide et apte ad communem intelligentiam explicari possit. Quapropter Aeliani locus magnam mihi suspicionem movit, duplicem olim extitisse Iphigeniae Euripideae editionem, cuius e priore, quae interiit, desumpti etiam videntur versus, quos Aristophanes in Ranis vs.* 1345. *facete et perfricate notavit.* Assensum patefecit et Iacobsius Additt. ad Sulzer. Theor. T. V. P. II, p. 401.

Verum ne consistamus in re inchoata, sed ad absolvendam sedulo pergamus; etiamnum enim plura restant dicenda. Quodsi duplex fuit Iphigeniae Aulidensis recensio, probabile est bis fabulam esse commissam, immo non probabile tantum, sed certum dixerim; aliis tamen admotis machinis accurate hoc evincam. Post Euripidis obitum una

doctae *Iphigenia Aulidensis*, *Alcmaeon*, *Bacchae*, post Ranas Aristophanis, ut supra demonstratum est. Num eae novae fabulae erant, ab Furipide relictae? Nego hoc; quibus rationibus, iam audi. *Alcmaeon* citatur Aristophani Equitum vs. 1299. quae Equites acta Ol. LXXXVIII, 4. sec. Argum. coll. Petit. Misc. I. 5. itaque Alcmaeon, quum edebatur post Ranas, repetito commissa est: quo ducit etiam cognomen Ἀλκμαίων ὁ διὰ Ψωφῖδος, quo altera ab altera editione videtur distincta esse, ut Hippolytus velatus a coronato. Musgravius quidem in Chronol. scenic. ad Ol. XCIII, 4. pro Alcmaeone *Alcmenam* malit substituere: verum quid postea? Etenim ipsa Alcmena respicitur in Ranis vs. 93, 94. ubi teste Schol. expressa sunt Alcmenae haec:

> Πολὺς δ' ἐνεῖρπε κισσὸς, εὐφυὴς κλάδος,
> Χελιδόνων μουσεῖα.

Item Alcmenam perstringi dicit vs. 537.

> Μεταχυλινδεῖν αὐτὸν αἰεί
> Πρὸς τὸν εὖ πράττοντα μᾶλλον τοῖχον.

Alcmenae enim versus sunt ap. Schol. l. c.

> Οὐ γάρ ποτ' εἴων Σθένελον εἰς τὸν εὐτυχῆ
> Χωροῦντα τοῖχον τῆς δίκης σ' ἀποστερεῖν.

Iam quum Alcmaeon eodem die cum Iphigenia in Aulide una acta sit, consentaneum est hanc quoque, ut illam, ex repetita editione fuisse. Sed quid imbellibus armis dimicamus, quum tormenta suppetant? Haud enim dubium est, quin Aulidensis docta sit ante *Tauricam*, ut ante est scripta, ante animo concepta: hoc nisi esset, Euripides contra naturam docuisset, scripsisset, cogitasset: et ut fecerit hoc saepius, etsi non temere eum tam sinistrum dixerim, certe hic non fecit, quoniam in Taurica loci reperiuntur respectu Aulidensis compositi, ut ante et scriptae et actae: cf. Iphig. T. vss. 208 — 217, 230 — 235. cum tenerrima illa scena Iphig. A. vss. 608 — 632. item Iphig. T. vss. 362 — 377. cum Iphig. A. vss. 1212 — 1253. Taurica vero acta ante Ranas, in qua comoedia perstringitur eius exordium,

> Πέλοψ ὁ Ταντάλειος εἰς Πίσαν μολὼν
> Θοαῖσιν ἵπποις,

vs. 1232. Eadem, ut suo loco repetam hoc, docta est post Calliae *γραμματικὴν τραγῳδίαν*, ut vidimus cap. XI. Iam quum Taurica ante Ranas docta sit, fuit etiam Aulidensis, adeoque ea editio, quae post Ranas prodiit, fuit altera. Item prior recensio nostrae Iphigeniae prodiit ante Andromacham, hoc est ante Ol. XC, ½. (v. cap. XV.); quae suspicio nata est

legenti Pelei versus in Menelaum dictos Androm. vs. 625.

Πρὸς τοῖσδε δ' εἰς ἀδελφὸν οἵ' ἐφύβρισας,
Σφάξαι κελεύσας θυγατέρ' εὐηθέστατα·
Οὕτως ἔδεισας μὴ οὐ κακὴν δάμαρτ' ἔχῃς.

Nam hi respiciunt eas partes, quas Euripides litiganti cum fratre Menelao dedit Iphigeniae Aulidensis vss. 316 sqq. imprimis vs. 389. His iam argumentis demonstratum est ante Ranas Aulidensem Iphigeniam datam fuisse; atque ita fides accessit Scholiastae Aristophanem eam perstrinxisse in sua fabula docenti. At locus, qui in Ranis respicitur, is non est in nostra, quae nunc legitur, Iphigenia in Aulide: ergo nostra est posterior editio post Ranas producta cum Alcmaeone et Bacchis, Euripide nuper defuncto. Quibus positis oritur quaestio, quisnam sit auctor nostrae Aulidensis Iphigeniae: certe nequit esse Euripides Mnesarchi; primum, quod ille omnibus suis dramatis, quae quidem supersunt, prologos praemisit, nostra prologum non habet: deinde, quod ille obiit ante Ranas, haec acta est post Ranas; postremo, quod in ipsa hac Comici fabula causa sita est, cur quaedam mutata sint in editione secunda, id quod nunc ita ponendum est, posthac vero demonstrabitur; num vero propter Ranas Euripides quidquam mutare poterat,

qui numquam eam viderat, numquam legerat, numquam audiverat? Sed haud mihi satisfacio, si ostenderim Euripidem Mnesarchi auctorem non esse; et sequentibus capitibus perlectis, qui hactenus nobiscum ordine progressus sit, iam de auctore haud erit dubius.

Caput XVIII.

Euripides minor, Iphigeniae Aulidensis editor et interpolator. Nonnulla de Rheso, et num plura Euripidis Mnesarchi sint ac fuerint spuria.

Quum eas mutationes, quae in altera Iphigeniae nostrae editione factae sunt, partim Ranae Aristophanis fabula produxerit, id quod proximo capite apparebit, necesse est, qui fabulam post fata Euripidis commiserit, idem novae recensionis auctor habeatur. At qui commisit, *minor* est *Euripides*, testantibus veteribus Didascaliis ap. Schol. Aristoph. Ran. 67. *Οὕτω δὲ καὶ αἱ Διδασκαλίαι φέρουσι τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέ-*

ναι ὁμωνύμως (leg. ὁμώνυμον) ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα, Βάκχας. Filium memorant etiam Suidas v. Εὐριπίδης, articulo tertio, Moschopulus et Thom. M. qui eum dicit περὶ λόγους διατρίβοντα: sed ibidem Suidas de filio ex fratre narrat, quae Scholiastes de filio: unde haud dubito errare Scholiastam, quum filium vocat, nisi forte a patruo adoptatus fuerit. Nempe Suidas de Euripide Mnesarchida, Νίκας δὲ, inquit, εἵλετο ε', τὰς μὲν τέσσαρας περιὼν, τὴν δὲ μίαν μετὰ τελευτὴν, ἐπιδειξαμένου τὸ δρᾶμα τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Εὐριπίδου. Cf. Vit. Eurip. Moschopul. Manifeste igitur errarunt Valckenarius Diatr. p. 94. et Beckius Diatr. de Rheso §. 16. qui ex eadem persona diversos duos fecerunt. De hoc minore Suidas alio loco: Εὐριπίδης, τραγικὸς, τοῦ προτέρου ἀδελφιδοῦς· ἔγραψε δὲ Ὁμηρικὴν ἔκδοσιν, εἰ μὴ ἄρα ἑτέρου ἐστίν. δράματα αὐτοῦ ταῦτα. Ὀρέστης, Μηδεία, Πολυξένη. Qui h. l. dicatur ὁ πρότερος, dubium visum Wolfio Prolegg. in Hom. p. CLXXXV. ubi dicit de editione Homeri Euripidea, cuius et p. CCLXI. mentionem iniecit, de quaque ipse infra dicam. Ut nunc est ap. Suid. ille πρότερος est antiquior celebri Euripides; verum etsi non ita sumus leves quam Barnesius, qui Vit. Eurip. §. XXV. hunc vetustiorem Euripidem negat umquam vixisse (esse enim *errorem*

palpabilem): tamen minor, quem dicimus, Euripides non est illius antiquioris ex fratre filius, sed celebris tragici, qui unus fuit ex triumviris, quod ipsum apparet ex Suida v. Εὐριπίδης, tertio articulo, ubi in fine eundem nominat verbis modo adscriptis.

Iam huic minori Euripidi recentiores critici multas fabulas tribuerunt, ut Heathius in Eurip. p. 83. quae Aelianus ex *Iphigenia* profert, sumpta putat ex cognomini huius tragoedia, sive etiam Euripidis illius antiqui ante celebrem scribentis: quod tamen Aelianum latere non potuisset, qui maioris Euripidis fabulam optime certe novit, et nihilominus ea tanquam maioris Euripidis profert, cuius et alios versus adiunxit, Sophocli auctorem componens. E minoris *Polyxena* servatum locum dicit Fabricius (B. Gr. T. II, p. 253. ed. Harles.) apud Philonem (quod omnis probus liber p. 882. E. ed. Paris.) turpi errore: extat enim Polyxenae dictum in Hecuba vs. 548. De *Medea* Petitum hariolantem vidimus cap. XIII. et eodem iure posses et superstitem *Orestam* habere pro cognomini minoris fabula, quippe quum una ex minime bonis sit in Euripideis, nisi edita Orestes diceretur ab Euripide Ol. XCII, 4. Archonte Diocle. Cf. Schol. Eurip. Orest. 371. 770. nec notum quidquam de diasceua. Quod si quis minorem

et maiorem Euripidem a Scholiasta et Didascaliis, ex quibus ille hausit, confusos putet esse, a nemini quidem refutari potest, tamen nimis est dubia sententia. At versus extat ap. Thom. M. v. *πόλις*, qui Euripidis dicitur in Oresta:

Ὦ πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα πάσχω.

Numerus anapaesticus requirit *οἷα λέγει*, quod servavit Aristoph. Plut. 601. Versus consutus e Medea et Telepho Euripidis: cf. Hemsterh. ad Plut. l. c. Valcken. ad Phoeniss. 616. neque obvius est in nostra Oreste: quadrat tamen optime ad Orestae argumentum, optimeque esse potest ex minoris Euripidis hac fabula, ex qua derivatum ab antiquioribus grammaticis Thomas M. acceperit. Eidem *Rhesum* Mnesarchidae abiudicatam tribuunt Valckenarius l. c. p. 95. et Beckius l. c. duce Martino Delrio Prolegg. in Senec. Trag. p. 22. Qua de fabula quid mihi videatur, nunc dicam, ea praemissa admonitione, memet ipsum desiderare meliora. Auctor Argumenti dicit: *Τὸ δὲ δρᾶμα ἔνιοι νόθον ὑπενόησαν, ὡς οὐκ ὂν Εὐριπίδου· τὸν γὰρ Σοφόκλειον μᾶλλον ὑποφαίνειν χαρακτῆρα* (cf. Valck. Diatr. p. 88 sqq.)· *ἐν μέντοι ταῖς Διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἐπιγέγραπται. Didascaliarum* gravissimi auctores fuerunt, Aristoteles philosophus (non recentior grammaticus,

ut Ionsio videbatur), Callimachus, Eratosthenes, Byzantius Aristophanes, Aristarchus, Crates, Carystius Pergamenus, alii; v. Fabric. B. Gr. T. II, p. 288. Haud igitur dubium est, quin antiquitus obtinuerit error, quasi Rhesus foret Euripidis: atque inde venit, ut alterum eius prologorum adeo additum ab histrionibus fabulam agentibus nonnulli putarent sec. Argum. Rhesi in Ms. Florentino (v. nos p. 15.) et in alio Vaticano, edito a Siebenkeesio, primum ap. Harles. ad Fabric. B. Gr. T. II, Praef. p. XVIII. At postea non historiae testimoniis, sed critico acumine fabula Mnesarchidae abiudicata est, quam ἀθέτησιν non ad alium refero quam ad ipsum *Byzantium Aristophanem*, qui operam in tragicis posuit, ut in Sophocle, ita in Euripide, cuius in scholiis passim eius fit mentio. V. ad Orest. 709. 1037. 1287. ad Hippol. 172. 612. Ac sane celebris Euripidis Rhesus non est: eo iam magis quaerendum, quanam ratione eam Didascaliae adscribere eidem potuerint, quum in iis tempora fabularum accurate alias fuissent notatae. Primum igitur ille error non potuit exsistere, nisi vivente Euripide Mnesarchi acta Rhesus sit, deinde nisi aut producta ab ipso hoc, etsi ab alio facta esset, (veluti alios Aristophanis fabulas produxisse eius Daetalenses ostendunt, et superstitum argumenta,) aut saltem a cog-

nomine huic alio Euripide commissa fuerit. Horum quid verius sit, haud facile est iudicare: non tamen inepta eorum sententia est, qui minorem Euripidem auctorem faciunt, quippe qui et cognominis patruo sit et eo vivente possit docuisse fabulas, ut Iophon vivente patre Sophocle. Sophocleam autem formam in Rheso veteres critici acute animadverterunt: eamque ipse minor Euripides videtur adamasse, quoniam et Iphigeniam Aulidensem prologo reciso Sophoclearum fabularum indoli fecit similiorem. Has rationes qui refutare velit, is ante omnia aut infirmet Didascaliarum fidem, aut probabiliter ostendat eam fabulam, quae Rhesi nomine insignita in iis fuerit, diversam ab hac nostra fuisse, hanc vero recentiore aetate pro vetusta illa suppositam esse, quod dum fiat (et veremur ut facile sit), in nostra nos sententia iure perstabimus. Exspectamus igitur, ut Hermannus, de tragoedia hac longe aliter sentiens, quum ex suo eruditionis thesauro, ea qua pollet, mentis acie depromat, quibus confirmet suum iudicium, tum propositas modo dubitationes solvat. Quod enim secundum laudatam saepe dissertationem (p. x.) putat *versuum elegantiam, si reliqua quoque, quae in isto carmine singularia sunt, bene perpensa fuissent, monstrare potuisse, neque Athenis eam fabulam scriptam esse, nec tam*

brevi intervallo contingere aetatem Euripidis, eo si nobis sententiam suam nondum persuaserit, nec tenaces nos praeceptarum opinionum dicet, neque obtusos atque hebetes.

Sunt et alia, quae ad minorem Euripidem referri possint: quin Io. Meursius in Biblioth. Att. T. X, p. 1506. Thesaur. Gronov. fabulas, quarum mentio fit, Euripidis, coniicit non unius esse clari tragici, sed trium illorum, temere is coniecturam captans et nulla idonea ratione. *Palamedem* post maioris Euripidis obitum productam repetito esse suspicatus sum extr. cap. XIV: possis hoc a minore factum dicere. *Electra* Euripidis falso suspecta aliquando fuit: vindicatur enim una narratione de Socrate Εὐριπιδείῳ (Valck. Diatr. p. 14.) ap. Diog. L. II, 33. (coll. Electr. vs. 379.) quam ego non damnaverim tanquam ineptam, ad quod acuti quidam homines nimis in his rebus inveniuntur prompti: eam tamen Electram miror tum neminem minori Euripidi tribuisse.

Sed ut mittamus haec, vix negari potest, Euripidis maioris fabulis intermixtas quasdam aliorum et inprimis minoris huius Euripidis esse: nam ne dicam de *Critiae Sisypho*, quod non pertinet huc, aut *Theristis Satyris*, quam nonnulli numquam ab Euripide scriptam esse putant, nonne ipse fabularum numerus

ab antiquis varie traditus huic rei fidem addit? De quo post ea, quae cap. VIII. exposui, haud opus est multis disserere: adiiciam tamen hoc, etsi spuria mature perierint, aetate antiqui grammatici, quem Suidas exscripsit, superfuisse dramata LXXVII, licet optimi auctores tantum LXXV agnoverint pro genuinis. Vitam Euripidis ex Cod. Vindob. CXIX. descriptam mecum communicavit nuperus Euripidis editor Ern. Zimmermannus; in ea legitur: (*Φασὶ δὲ τὸν Εὐριπίδην*) *υἱοὺς καταλιπεῖν τρεῖς, Μνησαρχίδην μὲν πρεσβύτερον ἔμπορον, δεύτερον δὲ Μνησίλοχον ὑποκριτὴν, νεώτερον δὲ Εὐριπίδην, οἳ ἐδίδαξαν* (an *ὃς ἐδίδαξεν?*) *τοῦ πατρὸς ἕνια δράματα· τὰ πάντα δὲ ἦν αὐτῷ δράματα ἐννενήκοντα καὶ δύο· σώζεται δὲ οκ* (an voluit *οζ'*, ut est apud Suidam? nisi malis *οε'*)· *τούτων νοθεύεται τρία.* In his haud dubie fuit Rhesus, a veteribus iam damnata: duae alterae fabulae quaenam sint, ignoro: conieceris tribus illis a Grammatico designatis significari minoris Euripidis dramata Suidae memorata, Medeam, Orestam, Polyxenam: sed non multum tribuo talibus coniecturis auctore nullo confirmatis. Et multo etiam minus tria illa dramata intellexerim, quae post Mnesarchidae fata minor Euripides edidit.

CAPUT XIX.

Quid propter Ranas Aristophanis in repetita Aulidensis Iphigeniae editione novatum sit. Minoris Euripidis editio Homericorum carminum, cuius deteguntur variae lectiones.

Transeamus nunc ad eam quaestionem, quid potissimum in Aulidensi Iphigenia possit ab aliena manu additum videri quidve mutatum. Primum ea corrector resecare debuit, quae Aristophanes in Ranis ante unum fortasse mensem ita traduxerat, ut risu excepta essent a spectatoribus, quorum in animis adhuc Comici locus haereret: ita ipse Euripides versatus est in Medea interpolanda, de quo dixi cap. XIII. Itaque ante omnia prologum abiecit, quod prologos Euripideos acerbissime Comicus exagitaverat vss. 1176 sqq. Cuius enim sententiae citius recordari theatra poterant, quam toties recurrentis illius Ληκύθιον ἀπώλεσεν? Abiecto igitur prologo Sophocleam magis fabularum conformationem secutus est, atque

initium fecit a systemate anapaestico Aeschyli Persarum exemplo. Sed apud Euripidem post prologum aut chorica cantica aut anapaesti solent inferri, ut anapaesti in Hecuba, Hippolyto, Alcestide, Troadibus, Bacchis, Ione, etiam in spuria Rheso; et eximium est Iphigeniae, quod nunc fertur, principium: cum ortu diei oritur quasi fabula; ad altam noctem, ad Sirii candorem, ad surgens diluculum, ad fulgentem auroram umbras pellentem consonat coelesti concentu anapaestorum numerus. Quapropter non video, cur dubitem hoc systema Euripidis maioris esse: nisi quod nonnulla propter recisum prologum mutari debebant. Deinde locus ille, qui nunc est vice prologi, vss. 49 sqq. adiectus est aut ex parte translatus ex ipso Euripidis Mnesarchi prologo. Aliae scenae, ut vss. 608—622. 1212—1253. remanserunt ex priore editione: quod intelligitur ex iis, quae dixi de Taurica Iphigenia huc spectante; item vss. 317 sqq. vide modo Andromachae versus cap. XVII. allatos: tamen his quoque locis nonnulla possunt mutata esse, fitque id verisimile ex posthac dicendis. Deinde vero in reliquo etiam diverbio interpolationes possunt factae esse, quarum nos, credo, bona pars latet. In Fragmm. ex incert. tragg. Eurip. CXCIX. versus est:

Ἄληθες, ὦ παῖ τῆς θαλασσίας θεοῦ.

Perstrinxit Aristoph. Ran. vs. 840.

Ἄληθες, ὦ παῖ τῆς ἀρουραίας θεοῦ,

retorquens in Euripidem filium matris olera vendentis. V. Schol. et Hesych. v. ἀρουραία θεός. Ille autem παῖς τῆς θαλασσίας θεοῦ est Achilles. Iphig. A. 837. ὦ θεὰ παῖς ποντίας Νηρηΐδος, et 897. ὦ τέκνον Νηρῇδος, ὦ παῖ Πηλέως. Quid igitur obstat, quominus et ille versus in hoc fuerit dramate? In quo nunc est vs. 1145.

Ἀχιλλ. Ὦ γύναι τάλαινα Λήδας θύγατερ.
Κλυτ. Οὐ ψευδῆ θροεῖς.

Pro hoc esse poterat:

Ἀχιλλ. Ὦ τάλαιν'. Κλυτ. Ἄληθες, ὦ παῖ
τῆς θαλασσίας θεοῦ,

mutatum istud posthac propter Comici irrisionem. Sed et melica passim mutata sunt, unum inprimis, ex quo est illud:

Ἀλκυόνες αἳ παρ' ἀεννάοις θαλάσσης

etc. Haec nuspiam meliorem locum habebant, quam ubi nunc est,

Ἔμολον ἀμφὶ παρακτίαν
Ψάμαθον Αὐλίδος ἐναλίας,

et sqq. vs. 164. Quod si fuit, necesse est omnia ista epodica in altera editione adiecta esse, quum antea essent ibi alia. Quae res, ni me omnia fallunt, apertior fiet, si praemisero nonnulla de editione Homeri ab Euripide curata.

Euripidi minori, celebris ex fratre filio, apud Suidam tribuitur *Homeri recensio*: ἔγραψε Ὁμηρικὴν ἔκδοσιν, εἰ μὴ ἄρα ἑτέρου ἐστίν. Genus loquendi in hac re minus usitatum notavit Wolfius Prolegg. in Hom. p. CLXXXV. ubi tamen non dubitat extitisse olim eiusmodi editionem, artis criticae rudimentum mature obscuratum. Sed cuius fuerit Euripidis, non videtur certum esse: dicitur enim εἰ μὴ ἄρα ἑτέρου (sc. Εὐριπίδου) ἐστίν. Plures reperiuntur hoc nomine Athenienses notati a Fabricio B. Gr. T. II, p. 234. et ibi ab Harlesio ex Valck. Diatr. p. 94. At clari tragici eam editionem esse minime credo, quippe quod certius aliquid, credo, traditum esset, si huius ea fuisset. Ceteros parum novimus; nostrum tamen minorem Euripidem eius auctorem esse verisimillimum est, quum et Sophoclis hic assecla videatur fuisse ac proinde φιλόμηρος, et poeta inprimis criticus: qui enim patrui fabulas emendabat, quidni Homero is operam impenderit? Sed haud licet tam paucis in hac re defungi; altius indagantes inveniemus certiora.

In epodicis, quae modo produxi, est descriptio sive enumeratio navium a Graecis in Aulide congregatarum ad traiiciendum in Asiam exercitum, eaque ad exemplum Homerici copiarum catalogi composita; plurima autem, praesertim navium numeri, accurate exposita sunt ad fidem Homeri. Ita vs. 238. Achillis naves numerantur L, plane ut Il. β, 685. ita Boeotorum naves L vs. 253. et Il. β, 509. Mycenarum naves C vs. 267. et Il. β, 575. Aiacis XII vs. 293. et Il. β, 557. Et vss. 261, 262. naves dicuntur venisse Φωκίδος ἀπὸ χθονὸς totidem quot Locrorum: vere: nam utrique XL habuerunt, Il. β, 524. 534. In his igitur et in nominibus plurimis accuratissimus poeta est: qui si multa omisit, non incuria fecit sed de industria. Quapropter probabile non est, eum contra disertam Homeri traditionem quidquam pronunciasse, nisi novandi causam haberet, ideoque indagandae rationes sunt, quae moverint eum, ut praeter vatis auctoritatem nonnulla dixerit. Igitur navium ordinem quum alium fecit, cogites non de iis agi, ut ad Troiam positae erant, sed ut in Aulide; ac poeta secutus in sua dispositione est Il. λ, 5 sqq. ϑ, 225. (cf. Sophocl. Aiac. flagellif. vs. 2.): idcirco Salaminii Aiacis naves non iuxta Atheniensium collocavit, ut Solon in Homerico catalogo vs. 557. sed in altero cornu. Verum alii loci

sunt, ubi difficile est indagare rationes mutationum. Argivorum naves vs. 242. ait fuisse ταῖςδ' ἰσηρέτμους, i. e. Achillis: ἰσηρέτμους Lexicographi exponunt *totidem sive aequalibus remis instructas:* idque est verum, si recte intelligas; intelligi autem debet ut vs. 262. Τοῖςδ' ἴσας, *numero pares:* at vox alibi nusquam legitur, et omnino legendum ἰσήριθμοι, licet refragetur Musgravius inductus Homeri testimonio. Causam tamen non novi, cur minuerit numerum: quod enim inter duces Argivorum non meminerit Diomedis iam vs. 199. memorati, ideoque demi eius naves debuerint, parum mihi videtur idonea ratio esse. Nempe *minutus* numerus est, quum Argivae totidem quam Achillis naves ab Euripide perhibeantur fuisse, Homerus autem Achillis tantum L, Argivorum LXXX (Il. β, 568.) tradiderit. Item quod poeta vs. 282. Eurytum Epeis praeficit, longe aliter habetur apud Homerum, vss. 620 sqq. Et cur vs. 247. dicit Ἀτθίδος δ' ἄγων Ἑξήκοντα νῆας ὁ Θησέως παῖς, quum apud Homerum sint L (vs. 556.)? Nam quod nonnulli putant factum id esse augendi Athenarum decoris causa, non mihi satisfacit: si hoc Noster volebat, quidni maiorem delegit numerum? Taceo hoc, quod apud Homerum Menestheus, apud Euripidem Thesei filius Atticas copias ducit: de qua re

vide Eustath. ad Hom.; at hoc in nostri poetae codice certe haud videtur fuisse,

Τῷ δ' ἅμα πεντήκοντα μέλαιναι νῆες ἕποντο,

sed aut,

Τῷ δ' ἑξήκοντα γλαφυραὶ νέες ἐστιχόωντο,

aut simile, nisi et praegressa aliter legebantur in eiusdem exemplari. Postremo cur vs. 277. ait: Αἰνιάνων δὲ δώδεκα στόλοι Ναῶν ἦσαν, quum ap. Hom. vs. 748. sint δύω καὶ εἴκοσιν? Vide igitur ne in poetae exemplari fuerit tale quiddam:

Γουνεὺς δ' ἐκ Κύφου ἦγε δύω μὲν καὶ δέκα νῆας·
Τῷ δ' Ἐνιῆνες ἕποντο μενεπτόλεμοί τε Περαιβοί.

ut vs. 758.

— Τῶν μὲν Πρόθοος θοὸς ἡγεμόνευεν·
Τῷ δ' ἅμα τεσσαράκοντα μέλαιναι νῆες ἕποντο.

Porro non mediocriter cautus ac religiosus in Homero suo tractando huius cantici scriptor fuit, qui ne hoc quidem Atheniensibus sit gratificatus, ut duce spurio versu a Solone supposito (vs. 558.),

Στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες,

Salaminias copias iungeret Atticis. Reputes etiam haec. Primum in Homerico navium catalogo praeter Solonis interpolationem multae antiquitus varietates obtinuerunt; aliter Athenienses, aliter Megarenses versum modo allatum efferebant: vss. 553 — 555. Zenodotus expungebat, fortasse secutus antiquiores auctores. Deinde in numeris navium praesertim variatum est; ut vs. 557. alia lectio fuit τριςκαίδεκα, alia, quae apud Euripidem est et nunc vulgatur, δυοκαίδεκα. V. Heyn. ad h. l. Postremo ipsius Euripidis editio in catalogo alia habuit quam vulgaris: nam post vs. 866. subiecit integrum versum:

Τμώλῳ ὑπὸ νιφόεντι Ὕδης ἐν πίονι δήμῳ.

V. Wolf. Prolegg. p. CCLXI. Heyn. ad h. l. Quibus in unum collectis, iam audeo contendere, non solum, quae in hoc Euripideo carmine aliter atque apud Homerum, ut hic nunc legitur, tradita sunt, deprompta esse ex antiqua editione, eaque huius minoris Euripidis: sed etiam hunc Homeri editorem, sive emendatorem dixeris, Iphigeniam nostram interpolasse, carminisque huius, navium descriptionem continentis, esse auctorem habendum, utpote subsistuti in eius locum, quod nuper a Comico traductum esset.

Caput XX.

Sophoclem atque Euripidem, illum Aeschyli, hunc utriusque sententias et versus in suum usum vertisse. Euripides eadem dicta saepius ponit. In iisdem rebus diversas Euripides fabulas sequitur. Metra negligentius elaborata in Aulidensi Iphigenia. Antistrophica in Heraclidis restituta.

Quid in Iphigenia Aulidensi a minore Euripide profectum sit, alia praeterea ratione investigaveris, si ea, quae maiore indigna sunt, discernas: quo tamen parum proficias, quum ne maior quidem talis poeta sit, in eo ut nihil omnino reprehensione dignum reperias; praesertim quum pulchriorem tragoediam reddere emendator voluerit, non deteriorem, quumque una sit ex optimis. An enim multa apud Euripidem putas extare tam eximia carmina, quam cui insertum est epithalamium Pelei ac Thetidis Iphig. A. vss. 1037 — 1098. imprimis vss. 1063 — 1080. quos Marklandus rectissime iudicavit ipso digna Pindaro? Neque assecutus

aemulatione est is, qui fabulam nostram mira ingenii ubertate ac profunditate transtulit aut potius novam fecit, Frid. Schillerus. Accedit, quod emendator conformavit sese haud dubie ad exemplum patrui Euripidis, et quod tragicorum non ita accurate circumscriptus suis limitibus usus loquendi est, quam pedestri sermone scribentium, Xenophontis, Platonis, Thucydidis: modo sublimior oratio est, modo pressior: varii agentium mores: variis personis varium dictionis genus tribuunt. Et unum, in quo se aliena manus prodat, id est, si quae *imitationes* ex ipso Euripide reperiantur, quas quidem non ipse possit fecisse, unum hoc, inquam, tantas difficultates tantamque obscuritatem habet, vix ut ad certi quidquam via hac pervenias. Etenim veteres tragici in exprimendis aliorum locis, immo in mutuandis totis versibus non ita religiosi fuerunt, ut alii poetae ac prosae praecipue scriptores, sed in hac re maiorem sibi libertatem sumpserunt, idque iis condonatum est pluribus de causis. Primum, quod veteres non illud postulabant, ut scenicus poeta nihil nisi peculiaria afferret, sed ut pulchra et quae delectarent populum: nam popularis apud Graecos cuncta poesis fuit, et imprimis scenica: nec tam poeta quam poesis spectabatur: ut singuli scriptores propriam quandam formam, ab aliis diversam,

impressam haberent, non desiderabant, modo nationis indoli convenirent carmina. Deinde nonnulli versus, quorum magna vis et effectus in scena fuit, in Aeschyleis praesertim fabulis, videntur spectatoribus inprimis fuisse cari et grati: eos suo loco Sophocles repetere non est dedignatus. Haec si tenueris, poteris plurimorum eiusmodi locorum rationem reddere, exceptis iis, in quibus non tam imitatio est, quam eiusdem sententiae repetitio fortuita: haec vero quam late pateat, quantaeque subinde similitudines, praesertim in poesi, inter duos scriptores casu nascantur, pauci fortasse accurate norunt, et ipse fortasse ignorarem, nisi quum olim versibus luderem, in me essem ipso expertus: hoc enim propria experientia, ut alia multa, discitur facilius, quam in alienis rebus. Quippe accidit interdum, ut duo sive idem sive simillimum quiddam dicant vel in rebus reconditioribus; ita ut, nisi ex ipsis verbis earumque structura et universa conformatione spectetur imitatio, sit parum ingenui hominis accusare servile imitandi studium. Nam ut illiberale est imitari alios aut compilare, ita ubivis imitationem aut plagium criminari, est etiam illiberalius. Quapropter nos in his pervestigandis cautiores erimus, ac primum, quomodo Graeci in hoc genere versati fuerint, multis ostendemus exemplis. *Aeschy-*

lum taceo, licet is ex Phrynicho dicatur hausisse; sed ex illo passim profecit *Sophocles*: unde natae sunt nugae de furtis Sophoclis explosae a Lessingio. Ex quo genere illud est de Ἀχαιῶν συλλόγῳ, qua de re exposui cap. X. Aliud exemplum gravissimum est Electr. vs. 1415. ubi Clytaemnestra:

Ὤ μοι πέπληγμαι,

inquit, et rursus exclamat,

Ὤ μοι μάλ' αὖθις.

Nempe sic apud Aeschylum Agamemno in cognomini dramate vs. 1335.

Ὤ μοι πέπληγμαι καιρίαν πληγὴν ἔσω,

et,

Ὤ μοι μάλ' αὖθις δευτέραν πεπληγμένος.

Sed in hoc illustri loco quis tam rudis est, quin videat, quam eximie hic summus tragicus Aeschyli verba spectatoribus in memoriam revocaverit? Necessitatem fati inexpugnabilem tragoedia docet, quod ita severum est, ut eo gubernante vel is, qui inscius aut invitus peccaverit, suis facinoribus in perniciem praeceps detur; amatque id inprimis talionis ius exercere. Quare quid tragoediae melius conve-

niebat, quid maiorem vim habebat, quid audientium sensus magis tangebat, quam si, quibus vocibus a Clytaemnestra caesus maritus animam exhalavit, easdem ipsa mittens concideret icta filii securi? Sic tandem spectatores clare videbant, quod chorus ibi canit:

Τελοῦσ' ἀραί· ζῶσιν οἱ γᾶς ὕπαι κείμενοι.

Alius locus est Electr. 1477 sqq. coll. Aeschyl. Choeph. 876 sqq. ubi imitatio egregia est, non servilis: de loco vero ex Ἀχαιῶν συλλόγῳ dubitavi, an is nostri Sophoclis sit, quum ibi minus libera, immo longe servilior sit Aeschyli imitatio. Minus circumspecte videtur *Euripides* egisse, apud quem multa ex Aeschylo translata sunt. Nobile exemplum habes ap. Aristot. Poetic. c. 23. ubi inquit Philosophus: Οἷον τὸ αὐτὸ ποιήσαντος ἰαμβεῖον Αἰσχύλου καὶ Εὐριπίδου, ἓν δὲ μόνον ὄνομα μεταθέντος, ἀντὶ κυρίου εἰωθότος γλῶσσαν, τὸ μὲν φαίνεται καλὸν, τὸ δ' εὐτελές. Αἰσχύλος μὲν γὰρ ἐν τῷ Φιλοκτήτῃ ἐποίησε·

Φαγέδαινα ἥ (f. δή) μου σάρκας ἐσθίει ποδός·

ὁ δὲ ἀντὶ τοῦ ἐσθίει τὸ θοινᾶται μετέθηκεν.

Euripidis versus est ex Inone,

Σιγᾷν δ' ὅπη δεῖ καὶ λέγειν ἵν' ἀσφαλές,

non multum ille diversus ab Aeschyleo in Prometheo Ignifero,

Σιγῶν δ' ὅπου δεῖ καὶ λέγων τὰ καίρια.

Cf. Valck. Diatr. p. 175. Aeschylus VII. adv. Theb. 62.

Σὺ δ' ὥστε νηὸς κεδνὸς οἰακοστρόφος —

et Euripides Medea 523. (Valck. ad Hippol. p. 296.)

Ἀλλ' ὥστε νηὸς κεδνὸς οἰακοστρόφος,

nisi hoc sit ab interpolatore. Et cf. praeterea Med. 1371. et Aeschyli Eumenid. 175. Euripidis Heraclid. 261. et Aeschyli Suppl. 84. ac loca collata a Valckenario cum Phoenissis Euripidis vss. 866. 1128. 1651. Sophocleorum dramatum imitationes plures in Euripideis sunt, sic tamen maximam partem institutae, ut suos mores hic non deposuerit nec serviliter sese exemplari suo addixerit. Sic haud dubie obversatus est scribenti Orest. vss. 132 — 173, 208 — 216. moriturus ille Hercules in Sophocl. Trachin. vss. 964 — 990. et componenti Alcest. vss. 154 — 196. scena ex eadem fabula vss. 899 — 946. Levius est, quod Androm. vss. 100 — 102.

Χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν οὐδὲν ὄλβιον βροτῶν
Πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς
Ὅπως περάσας ἡμέραν ἥξει κάτω,

in memoriam revocat finem Oedipi Tyranni

Cf. et Heraclid. vss. 865, 866. Troad. vss. 501, 502. Electr. vss. 954 — 956. De Phoenissarum exitu dicetur posthac. Integros etiam versus Euripides dicitur ex Sophocle sumpsisse, quorum alter hic est,

Γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ,

de quo infra disputabo, alter celeber ille:

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Eum tamen versum quum Plato ex Euripide afferat (v. c. IX.), potest is in Sophoclem illatus ab histrione videri ex Euripide: aut Aiax Locrus, unde is est, fabula fuit minoris Sophoclis, qui versum ab Euripide mutuatus sit; quae coniectura nonnullis fortasse verisimilis videatur inde, quod Flagellifer Aiax in Didascaliis simplici Aiacis nomine inscripta fuerit, quasi hae unicam eo nomine inscriptam fabulam agnoverint. V. Argum. Aiac. Flagellifer.

Postremo suos ipsius versus et sententias, factis subinde exiguis mutationibus, Euripides repetiit: sententias quidem permultas plus minus variatas, sed eas tales, ut facile cernas, quid ab imitatione differant, e. g. e reconditioribus Hecub. vss. 225 sqq. et Helen. vss. 721 sqq. Medeae vss. 417 sqq. et Ion. vss. 1090 sqq. Alcest. vss. 1056. et Fragm. ap. Valck. Diatr. p.

242. ex Stobaeo: item Aeol. Fragm. XIX, 2. et Melanipp. XVIII. etiam Heraclid. vss. 303 sqq. et Androm. 772. in laude nobilitatis. Versus autem apponam paucos partim eosdem in diversis tragoediis, partim simillimos. In eadem fabula repetiit eundem Orest. vss. 535. 624. ubi tamen defenderim: licet multa huiusmodi spuria sint. V. Valck. ad Hippol. p. 274. 276. Non abs re fuerit adiicere hic intelligentissimi huius viri iudicium, quod prodidit ad Phoeniss. p. 48. *Solet quidem*, inquit, *interdum Euripides in diversis tragoediis easdem iisdemque vocibus expressas sententias repetere; sed rarissime sciens eosdem senarios in eodem dramate reposuit: quod in Medea plures legantur male repetiti, plerumque, ni fallor, histrionibus est imputandum.* Plura attuli cap. I. Tale est Phoeniss. 937.

Ὀρθῶς μ' ἐρωτᾷς κεἰς ἀγῶν' ἔρχει λόγων,

et Androm. vs. 233.

Τί σεμνομυθεῖς κεἰς ἀγῶν' ἔρχει λόγων;

(cf. Valck. ad Phoeniss. h. l.) quamquam hoc levius est. Versus Med. 546.

— Ἀμιλλαν γὰρ σὺ προὔθηκας λόγων,

est etiam Suppl. 428. Similiter Hippol. 885.

Ἱππόλυτος εὐνῆς τῆς ἐμῆς ἔτλη θιγεῖν,

et Electrae vs. 255.

Οὐ πώποτ' εὐνῆς τῆς ἐμῆς ἔτλη θιγεῖν.

Medeae versus 693.

Τί χρῆμα δράσας; φράζε μοι σαφέστερον,

fuit et in Peliasin, auctore Schol. Med. l. l. ut in Cressis versus Hippolyti 435.

Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.

V. Valck. p. 212. 258. Versus,

Ζεὺς ὡς λέλεκται τῆς ἀληθείας ὕπο,

est in Fragm. Melanipp. II. et Pirith. Fr. V, 4. In Fragmento Oenomai IV, 3. est:

Μακρὸς γὰρ αἰὼν μυρίους τίκτει πόνους,

quod paullo immutatur in Glauco Fragm. IV,

Μακρὸς γὰρ αἰὼν συμφορὰς πολλὰς ἔχει,

qui versus delendus ex Fragmentis incertis LXXVII., ut Fragm. LXXIX. quod est ex Alcest. vs. 302. et fragmentum inter Barnesiana num. 55. quum sit in Phoeniss. vs. 966. Phrixi et Polyidi versus sunt non multum diversi, quos v. ap. Heindorfium nostrum in Plat. Gorg. p. 155 sq. et ibi praesertim Schol. Hippol. coll. Bentlei. Opuscc. p. 478. ubi erroris convincitur

Scholiastes Aristophanis ex Hippolyto sumptos tradens. Quae quum ita sint, subinde potest dubium videri, utrum versus apud quempiam scriptorem paullo aliter lectus, quam vulgo, novus sit, ab ipso Euripide ita variatus, an potius ea diversitas nihil sit nisi varia lectio. Sed qui exercitatus fuerit in his rebus iudicandis, dignoscet facile, praesertim ubi versus non sententiam quandam contineat, sed narrationem aut simile. Ita inter Fragmenta ex incertis est hoc CXXXVII.

Πολλοὺς δὲ βροντῆς πνεῦμ' ἄναιμον ὤλεσεν,

ubi inficeta est lectio *πνεῦμ' ἄναιμον*, quasi et *πνεύματα αἱματόεντα* sint. Legendum *τραῦμ' ἄναιμον*, ut versum habet Theo Smyrnaeus de Musica c. 2. p. 75. Minime tandem offendunt repetitae de industria solemnes dramatum clausulae, ut illa, Πολλαὶ *μορφαὶ τῶν δαιμονίων*, in fine Andromachae, Baccharum, Alcestidis et Helenae, et, uno mutato versu, Medeae; atque altera, Ὦ *μέγα σεμνὰ Νίκα τὸν ἐμὸν*, in Oreste, Taurica Iphigenia, Phoenissis, de qua fabula dicetur posthac.

Igitur quid in scriptore quopiam ex genuino animi fonte provenerit, quid ex aliorum imitatione duxerit, haud facile diiudicaveris, praesertim quum idem auctor eadem saepius ponat; ac nihil adeo superest, nisi ut cuiusque

ingenium et indolem ita curiose pernoscas, eam ita penitus imbibas, ut recto et perspicace sensu, veris criticis natura innato multaque exercitatione atque usu mirum quantum corroborato, litem dirimas, quid affectatum sit et fictitium, quid sincerum et infucatum pronuncians. Sed huiusmodi Delphico Apollini de tripode vaticinanti quam lubricum sit unice habere fidem, quis non intelligit? Quoties quaeso contraria sunt iudicia eorum, qui sibi quisque periti videantur esse? Unum afferam, quod ad me propius attinet. Quum in scripto de Platonis Minoe ac Legibus p. 25 sqq. explicuissem, quid scriptor Minois, quem Simonem dico fuisse, ex Platone expresserit, censori celeberrimo in Ephemeridibus litterariis, quae nunc Halae prodeunt, Num. 310. a. 1806. cetera quidem probavi, imitationes non probavi: et ille quidem Simonem auctorem esse concedit, imitatum hunc Platonis dialogos esse non concedit. De qua re etiamnum aliter sentio: quisquis ille scriptor est, imitationes in iis opusculis Platonis sunt tales, ut qui utrumque legerit, dubitare de iis nequeat. Profecto magnum criticae arti commodum afferret is, qui hoc de imitationibus caput, in quibus docti imprimis Batavi, cetera mihi aestumatissimi, errarunt ob nimium acumen, ad certiores regulas deduceret, quod ut perfici melius

possit, optandum est, ut in singulis scriptoribus, ubi res postulet, eum in usum nonnulla colligantur: hoc facere voluimus in disputatione hac: ita tandem ad certam in hoc quoque cognitionem pervenire possumus. Quis enim tam putidus est, qui post ea, quae docui, iam ex talibus locis, quales nunc afferam, alterum de altero expressum putet? Dico Hippol. vs. 834.

Οὐ σοὶ τάδ', ὦ ναξ, ἦλθε δὴ μόνῳ κακά·
Πολλῶν μετ' ἄλλων ὤλεσας κεδνὸν λέχος.

Et Alcest. vs. 418.

Ἄδμητ', ἀνάγκη τάσδε συμφορὰς φέρειν·
Οὐ γάρ τι πρῶτος οὐδὲ λοίσθιος βροτῶν
Γυναικὸς ἐσθλῆς ἤμπλακες· γίγνωσκε δέ,
Ὡς πᾶσιν ἡμῖν κατθανεῖν ὀφείλεται.

Aut Hippol. vs. 847.

Ἔλιπες ἔλιπες, ὦ φίλα γυναικῶν
Ἄριστα θ' ὁπόσας ἐφορᾷ
Φέγγος ἀελίου τε
Καὶ νυκτὸς ἀστερωπὸς σελάνα,

et Alcest. vs. 443. de Charonte,

Πολὺ δὴ, πολὺ δὴ γυναῖκ' ἀρίσταν
Λίμναν Ἀχεροντίαν πορεύσας
Ἐλάτᾳ δικώπῳ.

In quibus similitudo sententiae cernitur, non imitatio. Si quid concedo, hoc est, Euripidi, quum scriberet alterum locum, obversatum alterum esse; quamquam ne hoc quidem de omnibus eiusmodi locis dixerim. Sic quandam similitudinem habent hi quatuor loci, in quibus homines somniis comparantur et umbris: Aeschyl. Agam. vs. 79.

Τὸ δ' ὑπέργήρων, φυλλάδος ἤδη
Κατακαρφομένης, τρίποδας μὲν ὁδούς
Στείχει, παιδὸς δ' οὐδὲν ἀρήϊον
Ὄναρ ἡμερόφαντον ἀλαίνει.

Sophocl. Aiac. vs. 125.

Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλήν
Εἴδωλ' ὅσοιπερ ζῶμεν ἢ κούφην σκίαν.

Eurip. Fragm. Melanipp. XVIII.

Τί δ' ἄλλο; φωνὴ καὶ σκιὰ γέρων ἀνήρ.

Et Aeoli Fragm. XVIII.

Φεῦ, φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει·
Γέροντες οὐδὲν ἐσμὲν ἄλλο πλὴν ὄχλος
Καὶ σχῆμ'· ὀνείρων δ' ἕρπομεν μιμήματα.

sed nullus horum locorum cuiquam ceterorum debet quidquam.

At imitationes quantam ad investigationem difficultatem habent, tantam in universa critica

praebent utilitatem; et incredibile est, quot quantique errores ex harum neglecta cognitione manaverint in studium antiquitatis. Nobile afferam exemplum non alienum a nostra scriptione tragicis destinata. Vir eruditissimus Böttigerus Prolus. de quatuor aetatt. artis scen. p. 6. auctoritate Platonici Minois, quem ne ipse quidem pro Platonis libro habuit, usus est, ut demonstraret, priscam tragoediam non in Attica origines cepisse, sed multo ante in Sicilia: quod utut est (perturbatam rem a Böttigero esse iudicat Hermannus in Aristot. Poet. p. 104.), ex Minoe certe Platonico nullis tormentis umquam poterit extricari: nam quod ibi dicitur, purum putum imitamentum est ac figmentum compositum ad normam Platonis in Protagora iocose docentis, Prodici rationem proprias verborum significationes indagandi, ab Simonide usque retro repetendam esse, et vetustissimam in Graecia Laconum et Cretensium esse sapientiam (v. nostra l. c. p. 27.). Quod si cogitasset vir eximius, nec vili auctore usus esset in re gravissima, neque huius ipsius effatum ita detorsisset misere, ut, quum Graecus scriptor tragoediam diserte contenderet Athenarum (τῆςδε τῆς πόλεως) antiquissimum inventum haberi debere, ille per multas ambages hoc ipso loco Siculam originem significari ostenderet: quippe ex

huius auctoris fide tragoedias extitisse iam Minois aetate; atqui Minois in Sicilia fuisse vetustissimam memoriam. Haec argumenta quivis videt quam sint acuta: at multo etiam acutius ex theatris, in magna Graecia prius ex lapidibus exstructis quam in Attica, novum argumentum ducitur pro Sicula tragoediae origine, quasi scilicet lignea Athenis theatra non potuissent antiquiora esse quam in Magna Graecia lapidea. Verum si vellem accuratius persequi, quae de Doriensi ista tragoedia Attica antiquiore Böttigerus disputavit, et ultra fines huius disputationis progredi necesse foret, et paullo inhumaniorem esse in humanissimum deque litteris meritissimum hominem: argumentis enim haud dissimilibus demonstrarem, Arcadas non luna antiquiores, sed novissimos Graeciae incolas esse, nec Magnam Graeciam ex proprie dicta incolas accepisse, sed dedisse huic, et sexcenta huiusmodi, ad quae probanda credulis lectoribus quot se offerent vestigia! Graecorum, Atticorum imprimis *στωμυλία* demum haec pervertit, scilicet illa, qua effectum est, ut Dorici et poetae et philosophi vix Romanam, nedum nostram aetatem attigerint: Lyricos puta ab Alexandrinis in tabulas redactos, ab Horatio lectos, a novis adeo Grammaticis citatos! Hic, si qua alibi, iure clamabitur illud, *Ohe, iam satis est,* et, *Risum*

teneatis, critici. Quid quod nuperrime unus ex eiusdem viri disciplina ex Platonis Protagora serio demonstrare conatus est, Cretensem et Laconicam sapientiam Graecorum antiquissimam fuisse? Qui si Philosophi dialogum, quod credo, ne legit quidem, quid mirum est, si ignoravit, Platonem hoc ad deridendum Protagoram commentum esse, qui Sophistices ab antiquissimis poetis, ab ipso Homero origines deduxerat. Vides, quam necessaria sit imitationum indagatio? Nempe si perversa ista via pergemus historiam tractare, paucis annis ea nova facta erit. An haec religio est antiquitati debita? An hoc est caute ac circumspecte agere? Nonne indignum, tam parum religiose, tam cupide doctos versari in rebus gravissimis? Nae isti, qui corrasis undique, neque adhibito acri iudicio, similitudinibus et argumentis, dum obsoletam antiquitatem aperire volunt, mira fiducia inauditas res comminiscuntur, isti quam iactant historiam, multo habent minus sanctam, quam qui extrema temeritate eius elevant fidem: hi enim destruunt quidem omnia ac devastant; at illi pro rebus traditis sua nobis commenta obtrudunt.

Post haec, quae fini nostro arctius, quam videri possit, coniuncta sunt, revertat oratio, unde deflexit. Iam enim quaerendum est, an

in Aulidensi Iphigenia sit, quod imitatorem arguat. Unum locum afferam, cui alter simillimus in Alcestide legitur: sententia tam est singularis, orationis totiús conformatio, structura, immo singula verba tam inter se conveniunt, ut imitatio mihi videatur subesse, a fortuita eiusdem cogitationis repetitione apud unum eundemque scriptorem diversissima. Ecce versus fabulae utriusque. Iphig. A. vs. 1212.

Εἰ μὲν τὸν Ὀρφέως εἶχον, ὦ πάτερ, λόγον
Πείθειν ἐπᾴδουσ', ὥσθ' ὁμαρτεῖν μοι πέτρας
Κηλεῖν τε τοῖς λόγοισιν οὓς ἐβουλόμην,
Ἐνταῦθ' ἂν ἦλθον.

Alcest. vs. 357.

Εἰ δ' Ὀρφέως μοι γλῶσσα καὶ μέλος παρῆν,
Ὥστ' ἢ κόρην Δήμητρος ἢ κείνης πόσιν
Ὕμνοισι κηλήσαντα σ' ἐξ Ἅιδου λαβεῖν,
Κατῆλθον ἄν.

Ex quibus prior locus nescio quid affectatum habet, quod agnoscerem, etiamsi non esset ex hac Aulidensi Iphigenia, et agnovi profecto quum legerem. Hoc posito, ubi plura eiusmodi vestigia reperiantur brevi spatio inclusa, aliis accedentibus notis, augetur suspicio; verum nondum evagabor in eam provinciam: monebo nunc aliud.

Auctorum diversitatis indicium praeter nimiam similitudinem est *diversitas tum rerum traditarum, tum orationis ac stili formaeque dicendi:* cur tamen his rebus hic parum efficiatur, supra exposui. Accedit quod ipse Euripides in aliis tragoediis alias de eadem re traditiones sequitur. V. Valck. Diatr. p. 180. Aliter in Medea (vs. 1284.), aliter in Inone huius narrat fabulam: Secundum Phoenissas a semet ipso, secundum Oedipum tragoediam a Laii ministris Oedipus excoecatur (v. Schol. Phoeniss. vs. 61.): in Oreste et Andromacha diversa traduntur de Hermiona: in Helena et Electra (vss. 1280 — 1283.) de Helena fabulam habet aliam quam in Troasin et in ceteris fabulis: Thesei filium occisum esse ad Troiam Helen. vs. 855. dicit, in Heraclidis et Hecuba reduces ambos facit: in Hecuba et Troadibus plura narrantur ordine diverso: in duabus adeo Medeis duas discrepantes fabulas sequitur. Cave igitur in Euripidem inferas, quod in Homero suo fecerunt *οἱ Χωρίζοντες*: longe in hac re maiorem scenicorum poetarum libertatem reperimus, quae apud epicum poetam nulla est: cuius discrepantiae inter utrumque carminis genus apertiores rationes sunt, quam in quibus commorer diutius.

Postremo de forma dicendi non habeo, in quo genuina dignoscam ab addititiis in Aulidensi

hac Iphigenia, etsi in hac quoque necesse est diversitas quaedam sit utriusque scriptoris: quoniam vero ex numero exemplorum saepe haec diiudicanda est, magis in maioribus cernitur operibus, quam in unius fabulae diversis partibus, licet non ab uno auctore profectis: quod valet etiam de metrorum discrimine. Exemplo hoc fiet apertius. Heroici versus caesura in arsi potissimum tertii pedis est usque ad Nonnum: inde ab hoc trochaica obtinet caesura thesin dividens pedis eiusdem. V. Hermann. ad Orphic. p. 692. p. 696. Iam si quis totum Nonnum Homericae aetati vindicare vellet, refutare eum vel ex caesura plenissime possemus, quoniam immenso exemplorum numero accurate discitur usus utriusque poetae. Sed qui propter singularem caesuram unum et alterum versum aut plurium versuum compagem eiiceret ex Homero, loris foret dignissimus. In tragico senario legitima caesura est penthemimeris: idcirco quis damnabit versus, qui habent Alexandrinam incisionem? Similiter hic quoque agendum est: igitur non possunt omnes versus, qui aliquid singulare habent, propter hoc suspecti haberi. Tamen unum afferam, quod mihi dignum videtur annotatione. Hermannus in dissertatione saepius laudata (de Graecae linguae dialectis p. IX.) verba habet ita memorabilia,

ut opus sit adscribere integra: Inter alia, *Sophocles*, inquit, *atquè Euripides haud parum ab se ipsis discrepant. Ut luculento exemplo utar, quanta cum diligentia in quibusdam horum tragoediis versus elaborati sunt, tantum in aliarum versibus fabularum negligentiam inveneas. Quod non est casu factum. Nam quum Sophoclis atque Euripidis aetate, quum quidem iam diu mortuus esset Aeschylus, furiose tragoediis delectarentur Athenienses, orta sunt illa*

μειρακύλλια,
Τραγῳδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μύρια,
Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα,

qui homines quum non possent non corrumpere artem tragicam, ne meliores quidem poetae, quoniam istos quoque placere populo animadvertebant, illud studium illamque diligentiam, qua ante erant usi, retinuerunt. Quae mutatio facta est Olympiade XC. XCI. Itaque graviter erraret, qui, si quid Sophocles in Philocteta, Euripides in Phoenissis, in Oreste, in Iphigenia Aulidensi negligenter scripserunt, idem eos sibi indulgere potuisse in Antigona, in Medea, in Heraclidis crederet. Immo criticus, antequam ad harum fabularum emendationem accedet, quo quaeque tempore scripta sit et proinde quantum in quoque aut studii aut incuriae ferri possit, investigabit. Patet vero vicissim e dili-

gentia poetae vel negligentia aetatem fabulae elucescere. Sic ante Olympiadem XC. graviter improbatus fuisset tragicus, qui talem versum fecisset:

Ὡς πολὺν ἀπῆσθα χρόνον ἐν Αὐλίδος μυχοῖς.

Iphig. A. vs. 661. Hoc si verum est (et Hermannus, nihil inepte moliens, haud dubie rationes habet idoneas, quarum plures ipse video), versus illi in Iphigenia Aulidensi nimis negligenter facti non possunt maioris Euripidis esse, qui priorem huius fabulae editionem produxit ante Ol. XC. (v. cap. XVII.) Ac sane ille locus, quem ego cap. XIX. ex priore editione remansisse contendi, et in quo nullam interpolationis notam reperio, vss. 608 — 633, numeros habet multo elegantiores quam ceteri. Initium eximium est:

Ὄρνιθα μὲν τόδ' αἴσιον ποιούμεθα,
Τὸ σόν τε χρηστὸν καὶ λόγων εὐφημίαν.

Contra, quae sequitur scena vss. 633 sqq. ex qua versum illum Hermannus deprompsit, scatet versibus, si quid video, maxime scabris, ut,

Ὦ σέβας ἐμοὶ μέγιστον Ἀγαμέμνων ἄναξ,

et,

Ἐγὼ δὲ βούλομαι τὰ σὰ στέρν', ὦ πάτερ,

et,

Ἄλλους ὀλεῖ πρόσθεν ἅ με διολέσαντ' ἔχει.

Verum etsi non sum asinus ad lyram, sed metricae rei inprimis studiosus, tamen haec nolo nunc distinctius exponere; potius exspecto iudicium illius, qui unusnuncmetra Graecorum et Romanorum callet arte plus quam Bentleiana. Verum nolim te fugiat, scenam istam prodere auctorem minus ingeniosum etiam repetitione verborum modo praegressorum vss. 632, 633. quibus longe deteriores vss. 636 — 638. nimium illis similes. In melicis carminibus poeta diligentius versatus est; haec enim in Iphigenia Aulidensi habent eximiam suavitatem, neque ita perturbata videntur esse, ut in aliis tragoediis. Passim enim pessime habita sunt etiam facilioris metri cantica, multorumque ratio nondum perspecta est: ex quibus oblata occasione unum sanabo pulcherrimum, quod in Heraclidis vss. 608 sqq. vulgo perperam lectum, scribendum est ita:

Οὔ τινά φημι θεῶν ἄτερ ὄλβιον, οὐ βαρύποτμον στρ.
Ἄνδρα γενέσθαι,
Οὐδὲ τὸν αὐτὸν ἀεὶ βεβάναι δόμον
Εὐτυχίᾳ· παρὰ δ' ἄλλον γ' ἄλλα
Μοῖρα διώκει.
Τὸν μὲν ἀφ' ὑψηλῶν βραχὺν ᾖκισε,
Τὸν δὲ πλάνητ' εὐδαίμονα τεύχει.

Μόρσιμα δ' οὔτι φυγεῖν θέμις· οὐ σοφία τις ἀπώσεται,
Ἀλλὰ μάταν ὁ πρόθυμος ἀεὶ πόνον ἕξει.

ἀντ. Ἀλλὰ σὺ μὴ προσπίτνει τὰ θεῶν ὕπερ μήδ' ὑπεράλγει
Φροντίδα λύπᾳ.
Εὐδόκιμον γὰρ ἔχει θανάτου μέρος
Ἃ μελέα πρό τ' ἀδελφῶν καὶ γᾶς.
Οὐδ' ἀκλεής νιν
Δόξα πρὸς ἀνθρώπων ὑποδέξεται.
Ἃ δ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων.
Ἄξια μὲν πατρὸς, ἄξια δ' εὐγενίας τάδε γίγνεται·
Εἰ δὲ σέβεις θανάτους ἀγαθῶν, μετέχω σοι.

Carmen hoc eximium, quum dactilycis numeris scriptum sit totum, habetur vulgo anapaesticum, et quamvis syllaba syllabae respondeat, antistrophica indoles non agnoscitur. Nonnulla vero mutanda erant, quorum deinceps reddam rationem. Ὤικισε scripsi absque *νεφελκυστικῷ* metri causa cum Heathio: deinde sequens versus ita legebatur,

Τὸν δ' ἀλήταν εὐδαίμονα τεύχει,

contra metrum: quapropter Heathius substituit Doricum *ἀλάταν*: sed etiam hoc Doricum α ex η ortum longum est, nisi in terminatione accussativi pluralis primae declinationis sit: et sic *ἀλάτας* quum apud alios, tum ap. Eurip. legitur Suppl. vs. 281. Heraclid. vs. 365. Ion.

vs. 1089. Electr. vss. 139. 202. Helen. vs. 530. Musgravius scribit: *τὸν δ' εὐδαίμον' ἀλήταν τεύχει*, qui versus et per se pessimus est, nec respondet ad syllabam antistrophico, quod tamen solet esse, etsi non omnibus est locis. Ἀλήτης est *erro*, *mendicus*; idem significat πλάνης, quod eius loco restitui. Bacch. vs. 716.

Καί τις πλάνης κατ' ἄστυ καὶ τρίβων λόγων.

Heraclid. vs. 365. sunt *ἱκτῆρες ἀλᾶται*, quibus simillimus Oedipus, de quo Sophocl. Oedip. Col. vs. 3.

Τίς τὸν πλανήτην Οἰδίπουν καθ' ἡμέραν
Τὴν νῦν σπανιστοῖς δέξεται δωρήμασιν;

Sic et eadem quae in antistropha, syllabarum mensura, eadem caesura est. Scripsi et *σοφίᾳ* casu tertio pro primo. Post verbum ἔξει insertum erat γ' in strophae et antistrophae confinio, toties illud apud Pindarum et tragicos numerorum imperitia intrusum a sciolis. Vs. 624. vulgo erat, *ἄξια δ' ἀδελφῶν τάδε γίγνεται*, pro quo egregie codd. E. G. habent *ἄξια δ' εὐγενίας τ. γ.* Ionice pro *εὐγενείας*, ut in Herc. fur. vs. 696. ubi bene Musgrav. nisi, quod idem erit, scribere malis *εὐγενείας*, sed pronunciare *εὐγενίας*, brevi penultima, ut in *ἐπειὴ* aliisque penultima corripitur ob sequentem vocalem.

Sic *ἱέρια* sive *ἱέρεια* brevi penultima ap. Pind. Pyth. IV, 9. Eurip. Iphig. T. vss. 34. 1398. Orest. vs. 261. ubi v. Schol. Cf. et Locell. ad Xenoph. Ephes. p. 180. Dorvill. ad Charit. p. 446. ed. Lips. Schäfer. Melett. p. 42. Postremo post vocem *σέβεις* delevi istud *σύ γε*, quod ad fulciendum versum additum fuit.

Caput XXI.

Phoenissarum versus ultimi spurii. Cur multae Graecorum tragoediae productae sint ultra unius actionis fines legitimos.

Superiori capite quum promiserim dicturum me de ultimis *Phoenissarum* versibus, antequam redeam ad Iphigeniam, persolvam hoc debitum, aliorum, ut Porsoni, praetermissis sententiis meam succincte explicans. Trochaici igitur versus isti non possunt ab Euripide profecti esse, nimis ii pueriliter ex Oedipo Tyranno et aliunde expressi; ut ex illa fabula est vs. 1746. a quo verbis tantum, non re differt vs. 1748. Et vss. 1750, 1751. consuti sunt ex Eurip. Troad. vs. 444.

Ἀλλὰ γὰρ τί τοὺς Ὀδυσσέως ἑξακοντίζω πόνους;

et Phoeniss. vs. 385.

Ἀτὰρ τί ταῦτα; δεῖ φέρειν τὰ τῶν θεῶν.

ac Sophocl. Oedip. Tyr. ὥστε θνητὸν ὄντ' ἐκείνην κ.τ.λ. Eximius poeta Euripides fuiesset, si pulcherrimae fabulae finem, qui coronare proprio sensu opus debebat, consarcinasset ex collectis undique misellis pannis. Porro vss. 1752 sqq.

Ὦ μέγα σεμνὰ Νίκα τὸν ἐμὸν
Βίοτον κατέχοις,
Καὶ μὴ λήγοις στεφανοῦσα,

qui et ipsi leguntur alibi, in Phoenissis locum non habent: non quod, quae Valckenarii sententia est, victoria fabulae his verbis indicatur (hoc est enim subabsurdum, quum tragoedia scribatur antequam ei victoria obtingat), Phoenissae autem haud reportaverit praemium: sed quod Phoenissarum exitus est funestus, ea autem clausula tantum in iis fabulis reperitur, quarum fausta conversio est, ut Orestae et Tauricae Iphigeniae: haec enim prae altera Scholiastae (ad Orest. fin.) explicatio praeferenda videtur. Neque intelligitur, qui versus ii, Ὦ πάτρας Θήβης ἔνοικοι etc. cohaereant carminibus modo ab Oedipo et Antigona recitatis: immo versu 1745 apte claudebatur fabula

melico cantico, ut Troades, discedentibus de scena Oedipo et Antigona. Nihil enim desideratur, nisi quod suspensi tenemur de fortuna Antigonae, quae quo se converterit quidve egerit passaque sit, non edocemur. At hoc consulto fecit Euripides, spectatores volens de Antigona sollicitos dimittere, quod quum licet in fine fabulae, modo ne de summa rerum maneamus incerti, tum in veterum dramatis habet rationem peculiarem non cuivis opinor cognitam: quae quo magis appareat, paullo erit altius repetendum.

Extremam partem non pertinere ad propriam Phoenissarum actionem, scite notavit Iacobsius Additt. ad Sulzer. Theor. T. V, P. II, p. 364. quidquid enim post caedem Iocastae agitur, abundat, novaeque adeo actionis initium ducitur a vs. 1493. Viderunt et veteres critici, ex quorum sententia dicitur in Argum. *Ἔστι μὲν ταῖς σκηνικαῖς ὄψεσι καλὸν τὸ δρᾶμα, ἐπεὶ καὶ παραπληρωματικόν· ἥ τε* (leg. *ἡ δὲ*) *ἀπὸ τῶν τειχέων Ἀντιγόνη θεωροῦσα μέρος οὐκ ἔστι δράματος, καὶ ὑπόσπονδος Πολυνείκης οὐδενὸς ἕνεκα παραγίνεται. ἔτι ἐπὶ πᾶσι μετ' ᾠδῆς ἀδολέσχου φυγαδευόμενος ὁ Οἰδίπους προσέῤῥιπται διακενοῦ.* Hoc utrum aciem effugit Euripidis, an sciens fecit? Parum honorifice quidem de veteribus poetis in hac re sentit Wolfius Prolegg. ad

Hom. p. CXXV. sed etsi Euripides non magnus est in disponendis argumentis, tamen hoc vitium eum latere non potuit, ac proinde causa quaerenda erit, cur haec poeta ita instituerit. Ea vero non est longinque arcessenda. Nam quum solerent tragoedias plures in unam tetralogiam coniunctas una edere, poetae ea dramata, ubi coniunctionem quandam habebant argumenti, ita composuerunt, ut singula quidem per se stare possent, haud tamen plane essent disiuncta, sed alterius actione in alterum pertinente, ex universis una fieret suis cardinibus apte constructa fabularum compages perfectissima atque absolutissima. Argumento est *Orestia Aeschyli*, cuius in Agamemnone vss. 614 — 630. de Menelao quaeritur tam curiose, plane ut intelligi nequiret, qui haec venissent in Agamemnonem, nisi satyricum *Proteum* quartum huius tetralogiae drama nossemus fuisse (v. p. 28.), quamobrem et vss. 671 — 677. futuri Menelai adventus iniicitur mentio. *Agamemnonis* quoque non tanta esset extensio, nisi insecuta foret Choephori: omissa certe chori cum Aegistho disceptatione nihil de actionis consummatione detraxeris; sed optime ea quasi quoddam ἐπεισόδιον transitum facit ad sequentem tragoediam, in qua iam caedis a choro Aegistho exprobratae succedit ultio. In Choephoris autem quidquid

a vs. 962. agitur, absque Eumenidibus si fuisset, non esset scriptum: multo enim, quam putant, melius Aeschylus novit, quousque seriem rerum deducere liceret, quod satis ostendit drama Eumenides. Sed et in *Septem adversus Thebas* ultra modum actionem protendit, quae tragoedia, ni fallor, *Epigonis* continuata est, licet hanc atque illam in una et eadem tetralogia fuisse non necesse sit: etsi enim non uno die, non eodem festo atque adeo anno fabulae agebantur argumento coniunctae, tamen sive exspectationis movendae causa, sive quod ita rei naturae convenire putabant, priorem tragoediam ultra proprium modulum in alterius fines excurrere passi sunt, qua de re eximie disserit Süvern de Schilleri Wallensteinio p. 220 sqq. quamquam is tetralogiarum rationem parum perspiciens. Neque aliter est in *Supplicibus Aeschyli*, *Danaidibus* continuata, quod saepe mihi laudatus amicus aliquando demonstrabit. Haec igitur in Phoenissis causa est et actionis legitimos fines egredientis, et exspectationis in spectatorum animis non modo relictae, sed consulto motae, quod alia hanc tragoedia continuare volebat Euripides. Nam quum una cum Phoenissis Antiopa et Hypsipyla actae sint Ol. XCII, 1., in eadem tetralogia non continuavit, sed ex intervallo. Fecit autem in *Antigona*, in qua huius puellae fata

persecutus est, quae quum desponsa Haemoni fuisset (Phoeniss. vss. 761. 951.), dimissa est a Creonte metuente ne occideret novum maritum (vss. 1631 sqq.), et egressa cum Oedipo humare fratrem voluit (vss. 1734 sqq.), quod ipsum quum in Aeschyli Septem adversus Thebas tantum intendat, perficit in Antigona Sophoclis, quacum commune Euripidea argumentum habuit, praeterquam quod laetior fuit in hac eventus. Aristophanes Byz. Argum. Sophocl. Antig. Κεῖται δὲ ἡ μυθοποιΐα καὶ παρ' Εὐριπίδῃ ἐν Ἀντιγόνῃ· πλὴν ἐκεῖ φωραθεῖσα μετὰ τοῦ Αἵμονος δίδοται πρὸς γάμου κοινωνίαν, καὶ τίκτει Μαίμονα. Schol. Sophocl. Antig. extr. Ἰστέον ὅτι διαφέρει τῆς Εὐριπίδου Ἀντιγόνης αὕτη, ὅτι φωραθεῖσα ἐκείνη διὰ τὸν Αἵμονος ἔρωτα ἐξεδόθη πρὸς γάμον· ἐνταῦθα δὲ τον αντίον. Haec igitur in Phoenissis primis lineis designata, in Antigona repraesentata fuerunt. Postremo etiam in Aulidensi Iphigenia felix fabulae conversio unitatem, quam dicunt, actionis laedit, quapropter et Schillerus illam omisit; tamen ea non modo argumento defenditur, sed et adiectione Tauricae Iphigeniae, quae quum continuare Aulidensem deberet, necesse fuit, ut spectatores haud ignorarent servatam fuisse Iphigeniam, non immolatam.

Caput XXII.

Vestigia iteratae recensionis Aulidensis Iphigeniae cernuntur in variis lectionibus. Eiusmodi censurae viam monstravit Valckenarius ad Hippolytum.

Praeter ea, quae hactenus exposui, supersunt haud pauca, in quibus varietas editionum cerni possit, si quis pervestigare omnia studiosius velit; et licet fatear nonnulla tantum in coniecturis versari nec posse ad certam adduci cognitionem; tamen nescio an ab numero quaedam nostrae sententiae vis persuasionis accedat. Quum vero huc congerere animus sit, quidquid drama hoc singulare habeat, unde recensionum diversitas spectari possit, suppressis nonnullis, de quibus parum liqueat; potissimum in expendendis variis lectionibus occupatum hoc caput erit. Huius critices insignia duo specimina extant doctorum Batavorum, alterum Tib. Hemsterhusii in Aristophanis Pluto, alterum Valckenarii in Hippolyto Euripidis, ex cuius viri

plenissimis commentariis pauca praefabor, ut appareat, quantum saepe a priore editione differat posterior, quaque via in his rebus indagandis procedendum sit. Nempe quum duplex Hippolytus fuerit, altera καλυπτόμενος, altera στεφανηφόρος, quae Ol. LXXXVII, 4. tulit praemium, hic vir in distinguendis utriusque varietatibus posuit tam eximiam diligentiam, eius ut iudicia perspexisse ante omnia debeat is, qui in alia fabula aut simile agere, aut iudicare de eo, qui egerit, velit; ideoque cum nostro consilio visum est coniunctissimum in unum colligere sparsas per totum opus huc pertinentes eius observationes. Principio ponamus, quae summus vir habet in Praefat. p. XVIII. *Superstites*, inquit, *ex Hippolyto priore versus, qui non reperiuntur in nostra, suis plerosque locis indicavi, quibus probabiliter viderentur primum a poeta collocati. Sed sunt inter fragmenta prioris editionis omissa Barnesio quae mihi pene persuaserint, totam dramatis oeconomiam in editione fuisse secunda mutatam; in prima collocutam cum Hippolyto Phaedram, nec per interpretem, sed ipsam amorem verbis obscurioribus indicasse privigno novercam; non ab oraculo reversum Thesea, sed ab inferis reducem in scenam prodiisse: atque adeo in Hippolyto priore eandem nonnunquam rerum fuisse dispositionem, qualis*

multo deterior obtinet in Hippolyto Senecae, cui suspicor lectam Hippolytum Euripidis priorem. Nec tamen impediunt ista, quominus centeni versus aut prorsus iidem in utraque fuerint editione, aut in altera tantum hic illic voce mutata leviter interpolati: videnturque Euripidis studiosi ex Hippolyto priore diversas quasdam lectiones in editionis correctae marginibus adnotasse, ut hinc in Codd. scribendi nata sit diversitas, quae librariis imputari non possit. Quae quidem integra adscripsi, quod singula fere similiter de Aulidensi Iphigenia partim iam proposuimus, partim nunc proponemus, et quod multum conducit ad reprimendos frivolos obtrectatores clari viri alicuius auctoritas. Loci igitur prioris editionis a Valckenario proferuntur p. 178. 2. C. p. 188. 2. B. p. 220. 2. B. p. 224. 1. C. p. 230. 1. A. p. 237. 1. D. p. 249. 1. E. p. 259. 2. B. p. 289. 1. D. p. 299. 2. C. p. 312. 2. E. p. 322. 2. D. Sed *varias* inprimis *lectiones* nunc recenseamus, quas e lectionis diversitate natas esse censet. Legitur vs. 43.

> Καὶ τὸν μὲν ἡμῖν πολέμιον πεφυκότα
> Κτενεῖ πατὴρ ἀραῖσιν.

Cod. Paris. et alii πολέμιον νεανίαν, ad quod Valck. p. 168. *Haec mihi lectio secundae, prioris editionis altera fuisse videtur. Dantur in-*

ter varias codicum plures, de quibus idem videtur iudicandum. Vs. 68.

> Αἰ μέγαν κατ' οὐρανὸν
> Ναίετ' —

est in Cod. Paris. ἃ et *ναίεις*; posterius habet et Florent. et ex aliis praebet Musgrav. Unde Valck. p. 170. *Haec quoque fortasse fuerit duplicis editionis diversa lectio.* Vs. 76. ubi est, Οὐδ' ἦλθέ πω σίδηρος, futilibus sane argumentis in altera editione putat lectum fuisse σύαγρος p. σίδηρος. Multo felicius versatur vs. 79.

> Ὅσοις διδακτὸν μηδὲν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
> Τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν εἰς τὰ πάντ' ἀεί.

Recte enim monet p. 173. hoc εἴληχε non cohaerere cum illo ἐν τῇ φύσει, refutatisque deinceps Barnesii nugis pergit: *Hic quoque marginis lectio corrupisse videtur alteram. Primum pro ἀεὶ scriptura codicum est optimorum Flor. Paris. et aliorum Musgravii, εἴληχεν εἰς τὰ πάνθ' ὅμως.* Mox coniicit ad verba ἐν τῇ φύσει pertinere ἔνεστιν, et in prima editione obtinuisse fere quod nunc est in Bacchis vs. 315.

> Ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
> Τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ' ἀεί,

sed in secunda esse scriptum,

Ὅσοις διδακτὸν μηδὲν, ἀλλά γ' ἡ φύσις
Τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν εἰς τὰ πάνθ' ὅμως.

Vs. 230. Εἶθε γενοίμαν ἐν σοῖς δαπέδοις coniicit Valck. p. 188. ex Schol. Aristoph. Vesp. vs. 748. κεῖθι γενοίμαν, in Indice hanc diversitatem imputans duplici editioni. Minus probabiliter vs. 233.

Νῦν δὴ μὲν ὄρος βᾶσ' ἐπὶ θήρας
Πόθον ἐστέλλου,

vetus lectio πόθεν eandem ei habet originem. Vs. 388.

Ταῦτ' οὖν ἐπειδὴ τυγχάνω φρονοῦσ' ἐγώ,

duo codd. Paris. προγνοῦσ' ἐγώ. Valckenario p. 206. hoc aut vulgatae vocis interpretamentum aut adnotatum ex priore editione videbatur. Vs. 431.

Καὶ δόξαν ἐσθλὴν ἐν βροτοῖς κομίζεται,

codd. plures καρπίζεται. Hoc p. 211. ex priore, illud ex posteriore putat esse; possis et contra. P. 236. ad vs. 664 sqq. *Parum dubito*, ait, *quin in editione prima priores quinque locum invenerint; et rectius, me iudice, fuissent in editione dramatis correcta praetermissi. Forsan etiam omissi fuerunt a poeta, ab histrionibus autem et φιλευριπιδείοις illinc repetiti.* Vs. 746. habetur nunc:

Σεμνὸν τέρμονα ναίων
Οὐρανοῦ —

Vetus lectio est *κύρων* p. *ναίων*, iudice Valckenario p. 244. etiam *τέρμονι*. Receptam ex posteriore, alteram censet esse ex priore. P. 250. probabiliter putat duas lectiones fuisse, *ὡς ἴδω πικρὰν θέαν*, et *ὡς ἴδω τὸν δαίμονα*. Vs. 821. varias scripturas, *κατακονᾷ μὲν οὖν μ' ἀβίωτος βίος*, et *κατακονὰ μὲν οὖν ἀβίωτος βίου* (ita recte emendat) in Indice tribuit diversis editionibus: unde et vs. 829. *πήδημ' ἐς ᾅδου πικρὸν* et alterum *κραιπνὸν* diiudicat p. 253. Hinc et duplex scriptura vs. 1053. *τερμόνων τ' Ἀτλαντικῶν* et *καὶ τόπων Ἀτλαντικῶν*: v. p. 277. Ei coniecturae, quam ad vs. 1250. profert p. 299., merito parum ipse fidit. Vs. 1321. pro lectione *σκέψιν ἔνειμας* codd. Florent. Paris. *σκέψιν παρέσχες*, quod p. 306. refert ad priorem recensionem, ut quod vs. 1398. erat *δύσποτμος* pro recepto *προσφιλὴς*, recte ex eadem repetiit p. 315.

Haec ille. Atque eius ad normam non nos erubescimus componere, quae de lectionis varietate, repetitae recensionis indice, in Iphigenia Aulidensi annotanda habemus, intermixtis aliis affinis argumenti. Suspicionem movit statim vs. 6. locus iste de Vergiliis:

Ἀγ. Τίς ποτ' ἄρ' ἀστὴρ ὅδε πορθμεύει;
Πρ. Σείριος, ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου
Πλειάδος ἄσσων ἔτι μεσσήρης.

Qua ratione Sirius possit ἄσσειν Πλειάδος ἐγγὺς et tamen esse μεσσήρης, scite nescit Ios. Scaliger Prooem in Manil. Nempe si non de distantiis in coelesti sphaera, sed de distantiis ab horizonte in occasu sermo esset, explicari posset locus. Athenis, ubi altitudo poli est graduum XXXVI. Vergiliis occidentibus in coelo occidentali eminet Sirius supra horizonta gradibus XI, quod fit (mense Februario) post noctem mediam, qua fere tempestate Agamemno prodit ex tentorio; inque tali stellarum positu aptissime Sirius dici poterat ἐγγὺς τῆς Πλειάδος ἄσσων, quae ultima vox de occasu siderum est apud poetas fere propria. Sed obstat unum illud μεσσήρης, id est, quod vulgo vocant, *culminans*. Nam ubi Sirius in summo coelo est, Vergiliae supra horizonta positae sunt gradibus L. Itaque non iam verba explicari possunt de stellis ad occasum vergentibus, sed distantia utriusque sideris computanda est mensura arcus, cuius in cornubus ambo sunt posita. Hic arcus est graduum LX. Quinam igitur Sirius, tertia parte nostri hemisphaerii distans a Vergiliis, possit his dici vicinus esse, deus viderit, ut aiunt: at ille

opinor, numquam viderit, quippe ἀεὶ γεωμετρῶν secundum Platonem. Barbaram mitto Musgravii coniecturam, quae utinam nuper in textum recepta non fuisset: vitium hoc est ipsius scriptoris, quod, credo, committi non poterat ab ipso primitivo auctore, quem et nihil invitaret ad patefaciendam ignorantiam, nec deceret, ut Anaxagorae sectatorem, rerum coelestium ita rudem esse, praesertim quum signorum cognitio apud Graecos vulgatissima videatur fuisse. Contra emendatori potuit facile contingere, ut studio reponendae melioris dictionis, quam quae prius obtineret, pro vera sententia falsam proderet. Quippe Euripidea locutio Πλειάδες ἑπταπόροι. Orest. vs. 1001. Ὅθεν ἔρις τὸ πτερωτὸν Ἡελίου μετέβαλεν ἅρμα τὰν πρὸς ἑσπέραν κέλευθον προσαρμόσασ' οὐρανοῦ μονόπωλον εἰς ἀῶ, ἑπταπόρου δὲ δρομήματα Πλειάδος εἰς ὁδὸν ἄλλαν Ζεὺς μεταβάλλει. Mireque ea placuit imitatoribus. Auctor Rhesi vs. 529. Δύεται σημεῖα καὶ ἑπταπόροι Πλειάδες αἰθέριαι, μέτα δ' αἰετὸς οὐρανοῦ ποτᾶται: quae recte intellexit Miltonus. Ita et Aratus Phaenomm. vs. 257. de iisdem:

Ἑπταπόροι δὴ ταί γε μετ' ἀνθρώπους ὑδέονται,

ubi Buhlius citat locum Arnaldi. Nonnus Dionys. II, 15.

Πλειάδος ἑπταπόρου καὶ ἄντυγα κυκλάδος ἄρκτου.

Ita igitur etiam Noster ἑπταπόρους Πλειάδας videtur voluisse statim principio spectatoribus ostentare. Quid fuerit in priore editione, coniicere fortasse licet ex *Ennii* loco in Iphigenia Aulidensi ap. Scriver. Fragmm. p. 20.

> Quid nócti videtur? In áltisono
> Coelí clupeo remó superat
> Stellás cogens sublíme etiam
> Atque étiam noctuís itiner.

Eum ex Euripideis versibus expressum vidit Vossius Castigatt. in Ennii Fragmm. p. 32. *Itiner* restituit Scaliger, repugnante metri causa Vossio: quippe legebatur *noctis*, pro quo ad perficiendum paroemiacum non dubitavi rescribere vocabulum licet incognitum *noctuis* sive *noctus*: nam hoc olim extitisse demonstrat ablativus *noctu*, de quo v. Voss. de Anal. II. 12. p. 235. Priscus fuit nominativus *noctus*, unde et *noctua* cum derivatis; *nox* autem, quod Macrobio teste fuit adverbium, posthac substantivum factum est. Ut *nox* et *noctus*, ita et *frux* dicebatur ac *fructus*. Inde et ultima producitur in *noctu*. Plaut. Amphitr. I, 1, 116.

> Crédo ego hac noctú Neptunum óbdormivisse ébrium.

Nobilissimus locus Macrobii Sat. I, 4. *Ennius enim*, inquit, *nisi cui videtur inter nostrae*

aetatis politiore munditia respuendus noctu concubia dixit his verbis:

> Qua Galli furtim noctu summa arcis adorti
> Moenia concubia vigilesque repente cruentat.

Quo in loco animadvertendum est, non solum quod noctu, sed etiam quod qua noctu dixerit. Et hoc posuit iu Annalium septimo, in quorum tertio clarius quidem iam dixit,

> Hac noctu filo pendebit Hetruria tota.

Claudius etiam Quadrigarius Annal. III. Senatus autem de noctu convenire, multa noctu dimitti. In paroemiaco pes, qui catalecticam syllabam antecedit, pro anapaesto Graecis usitato, more Romanorum est dactylus, ut Plaut. Aulul. IV, 9, 12.

> Sed quid mihi nunc opus ést vita, qui tántum auri perdíderim.

Nam qui scripsit *iteiner*, non audiendus est, quum habeat et *alteisono* et *veitei* et nescio quae monstra. *Etiam* autem ultimam syllabam hic non elidit, ut passim non modo apud Senecam (Herc. fur. vs. 1081. Thyest. vs. 859. Troad. vss. 93. 96.) sed apud vetustiores, ut ap. Varronem ap. Non. p. 30. collata emendatione Hermanni de metr. p. 303. Sed ut redeam a criticis argutiis, Vossius negat locum esse Ennii, quod Varro, postquam eum attulit, pergit: *Et Ennius item, Coeli ingentes fornices.* Fa-

teor tamen me non videre, cur inde sequatur haec non esse Ennii, sed Naevii, cuius Iphigenia simpliciter dicta citatur Nonio v. *Passum*, non Aulidensis Iphigenia: immo plane certus sum Ennii haec esse, ex cuius Iphigenia in Aulide Festus v. *Pedum* profert haec:

Ag. Procéde, gradum proférre pedum
Nitére cessas?

item expressa nimirum ex hoc systemate anapaestico vs. 1.

Ἀ. Ὦ πρέσβυ δόμων τῶνδε πάροιθεν
Στεῖχε. Πρ. Στείχω.

Quibus similia, sed nulla utrimque imitationis suspicione, verba Medeae vs. 1394. et Electrae vs. 1338. Et sic ex nostrae fabulae vss. 446 sqq. fluxit locus ex D. Hieronymo allatus ap. Voss. p. 35. Sed etsi Ennium eorum versuum auctorem esse ignorarem, quisquis ille esset, ab eo coniicerem priorem Euripideae Iphigeniae editionem lectam et expressam fuisse, quippe in qua nulla esset Vergiliarum mentio facta. Nisi malis accedere Henr. Planckio (in Ennii Med. p. 51.), Ennium Euripidis inscitiam correxisse putanti. Vs. 33. nostri dramatis est:

Κἂν μὴ σὺ θέλῃς,
Τὰ θεῶν οὕτω βουλόμεν' ἔσται,

ut habet Ald. neque aliter Plutarchus Consol. ad Apollon. nisi quod ibi legitur τῶν θεῶν

βουλομένων, quod librariis imputandum censeo. Haec autem videtur vetusta lectio fuisse, et egregium illud apud Stobaeum, τὰ θεῶν οὕτω νενόμισται, ab emendatore profectum esse. Vs. 71.

Ἐλθὼν δ' ἐκ Φρυγῶν ὁ τὰς θεὰς
Κρίνας ὅδ' ὡς ὁ μῦθος ἀνθρώπων ἔχει,

Clem. Alex. Paedagog. III, 2. p. ἀνθρώπων habet Ἀργείων et κρίνων p. κρίνας, hoc credo de suo; illud Ἀργείων praefert Marklandus, cuius tamen ratio de orta diversitate ex duplici vocis μύθου significatione nulla est: etiamsi enim ἀνθρώπων legas, μῦθος nihil aliud hic erit quam *narratio*; potius e duplici editione hae varietates videntur natae esse; et Ἀργείων priori tribuo, quod quum minus placeret, generalius emendator reposuit ἀνθρώπων. Consideremus etiam alia in his iambicis, quos ex prologo huc translatos suspicamur. Vss. 75 sqq. legitur de Paride:

Ἔρῳν ἐρῶσαν ᾤχετ' ἐξαναρπάσας
Ἑλένην πρὸς Ἴδης βούσταθμ' ἔκδημον λαβών.
Μενέλαος οὖν καθ' Ἑλλάδ' οἰστρήσας μόνος
Ὅρκους παλαιοὺς Τυνδάρεω μαρτύρεται,

etc. Sed Mss. et Clem. Alex. l. c. habent: Ἔκδημον λαβών Μενέλαον· ὁ δὲ καθ' Ἑλλ. κ. τ. λ. unde Marklandus effinxit λαθών, *fallens Menelaum p. regre profectum*: sensu bono, nisi pu-

tida haec scriptoris diligentia esset, annotare, inscio Menelao abductam fuisse Helenam, scilicet quasi et consciis maritis uxores quandoque perderentur a moechis: potius, in quo ipse posthac Marklandus consistit, servandum est λαβὼν, i. e. *observans dum peregre profectus Menelaus esset.* Bonum igitur sensum haec lectio fundit, nihilo tamen minus vulgata quoque ferri potest: et vix ambigo diversae editionis vestigium hic cerni. Quum vero illa lectio Μενέλαον· ὁ δέ etc. Clementis sit, apud eundem autem reperiatur illud Ἀργείων, quod ex priore editione esse iudicavi, haec quoque varietas prioris, lectio nunc obtinens posterioris videtur editionis esse. Sic apparet una, cur mutaverit corrector, nempe quod parum ei perspicuum videretur hoc λαβὼν ἔκδημον Μενέλαον: ac ni fallor, contorta oratio in verbis, ἔκδημον λαβὼν (Ἑλένην) ᾤχετο ξυναρπάσας πρὸς βόυσταθμα Ἴδης, emendatoris manum arguit. Quorsum quaeso tantus ille verborum cumulus? quid sibi vult λαβὼν post sufficiens ἐξαναρπάσας? quorsum ἔκδημον post verba πρὸς Ἴδης βούσταθμα; Vs. tandem 77. pro μόνος in iisdem libris est μόρῳ, *infelici fortuna*, quod nescio an fuerit ex priore editione, bene posthac mutatum in μόνος, in quo quum nihil sit, quod offendere quemquam potuerit, non credo id in priore recen-

sione fuisse, in posteriore abiectum esse. Taceo coniecturas de hoc loco multas, quarum alia aliam nequitia superat, nisi quod nequissima est Höpfneri corrigentis λῷστον: ita enim misericordia commotum Euripidem eum vocare: quem ego Hoepfnerum misericordia commotus appellaverim ipsum λῷστον, nisi potius ob imperitiam nobis exagitandus est, quod lutulentis manibus Euripidem contrectaverit. Huc pertinent et vss. 378 sqq.

Βούλομαί σ' εἰπεῖν κακῶς, εὖ βραχέα, μὴ λίαν
ἄνω
Βλέφαρα πρὸς τἀναιδὲς ἀγαγὼν, ἀλλὰ σωφρονεστέρως
Ὡς ἀδελφὸν ὄντ'· ἀνὴρ γὰρ αἰσχρὸς αἰδεῖσθ' οὐ
φιλεῖ.

Verba ultima valde offendunt, quod nimis concise in iis prolata sententia est, quam exprimere debent: *se verecundiorem fore: turpem enim esse impudentiam.* Igitur versus 280. meo quidem iudicio non ita a primitivo auctore profectus est, sed quum olim aliter legeretur, emendator posthac nonnulla mutasse videtur: sic evenit, ut metri urgente necessitate, sensus exponeretur imperfectius. Aliam lectionem habet Stobaeus,

Ὡς ἀδελφὸν ὄντ'· ἀνὴρ γὰρ χρηστὸς χρηστὸν αἰδεῖσθαι φιλεῖ;

quae confusa est ex duplici, altera vulgari, altera hac:

Ὡς ἀδελφὸν ὄντα· χρηστὸς χρηστὸν αἰδεῖσθαι φιλεῖ.

Stobaeus autem, ut modo vidimus, codicem tractavit ex utraque editione conflatum: itaque utramque lectionem hic quoque servavit. Quam primo loco posui, ea profecta videtur a correctore, quod et nimis concisa est, et emendat alteram: haec enim, χρηστὸς χρηστὸν αἰδεῖσθαι φιλεῖ, minus convenit, quod non tanquam χρηστὸν Menelaum Agamemno tractat, sed tanquam κακὸν καὶ φαῦλον. Praeterea continuo post infertur: Τοῦ κέχρησαι, λέκτρα χρήστ' ἐρᾷς λαβεῖν (ita lege); quater itaque hic positum χρηστὸν et χρῆσθαι, quod ut vitaret, emendator, credo, correxit. Similis res vs. 391.

Ὤμοσαν τὸν Τυνδάρειον ὅρκον οἱ κακόφρονες
Φιλόγαμοι μνηστῆρες· ἦδε γ' ἐλπὶς οἶμαι μὲν θεός
Ἐξέπραξεν αὐτὸ μᾶλλον ἢ σὺ καὶ τὸ σὸν σθένος.
Οὓς λαβὼν στράτευέ γ'· οἶμαι δ', εἴσει μωρίᾳ φρενῶν
Τοὺς κακῶς παγέντας ὅρκους καὶ διηναγκασμένους.

Modo metri causa restitueris, οἶμαι μωρίᾳ δ' εἴσαι φρενῶν, omnia procedunt rectissime: nam

οἶμαι non necesse est ut ponatur post μωρίᾳ. Plat. Gorg. §. 143. Ἐὰν μὲν ἐξ Αιγίνης δεῦρο σώσῃ, οἶμαι δύ' ὀβολοὺς ἐπράξατο, ubi οἶμαι pertinet ad δύ' ὀβολούς. Iurarunt Tyndaro proci Helenae, qui eam in matrimonium accepisset, huic se opem laturos adversus moechum. Hoc pactum, inquit Agamemno, nón tua, Menelae, vis et potentia effecit, sed communis spes accipiendi: sin autem hos nunc socios assumpseris, re male gesta stulta mente dignosces sero, quid valeant iuraiuranda prava et invitis extorta. Multa ad haec hariolati critici sunt, ut solent in Euripide; mihi haec ita in alterutra editione videntur fuisse, non in utraque. Mss. quidam habent κἀξέπραξεν, unde Marklandus post v. θεὸς censet quaedam excidisse. Recte: nisi quod haec lectio fortasse tantum in alterutra editione fuit. Tamen nescio an locus etiam aliter expediri possit, interpunctione posita post θεός, hoc sensu: *Sed dea, opinor, Spes est valde efficax, eaque hoc effecit multo prius quam tua auctoritas.* Praeterea ita legitur:

Οὓς λαβὼν στράτευέ γ' οἶμαι μωρίαν δ' εἴσει φρενῶν·
Οὐ γὰρ ἀσύνετον τὸ θεῖον, ἀλλ' ἔχει συνιέναι
Τοὺς κακῶς παγέντας ὅρκους καὶ διηναγκασμένους,

supplente Valckenario Diatr. p. 224. (Piersoni enim mutationem non recepi) ex Stobaei Serm. XXVIII, p. 196. 32. et ex Theophilo Antiocheno II, 54. p. 258. ed. Wolf. Et sic, credo, lectum fuit in editione altera: fallor enim aut insititius versus est, quem illi addunt: certe quod primum numen divinum generatim non imprudens dicitur, deinde repetitur speciatim, *ἀλλ' ἔχει συνιέναι*, hoc tam prolixum genus dicendi possit natum videri e necessitate implendi unius integri septenarii ambitum. Vs. 408. est:

Συσσωφρονεῖν σοὶ βούλομ' ἀλλ' οὐ συννοσεῖν.

Plutarchus autem T. II., p. 64. C. habet:

Συσσωφρονεῖν γὰρ οὐχὶ συννοσεῖν ἔφυ,

quod h. l. in priore editione potest fuisse. Vs. 450. legitur:

Απαντα ταῦτα προστάτην τε τοῦ βίου
Τὸν δῆμον ἔχομεν τῷ τ' ὄχλῳ δουλεύομεν.

Ita enim scribo *τε* p. *γε*, ne cetera afferam de his dicenda. Sed Plutarchus Nic. p. 526. C. legit *τὸν ὄγκον ἔχομεν*, *forte ex memoria*, inquit Markl. Hoc nego fieri potuisse: quis enim tali loco *ὄγκον* citet pro *δῆμον* ex memoria? Agnosco lectiones diversarum editionum; eleganter, opinor, in priore dictum fuit *ὄγκον*, *dignitatem et gravitatem regii impe-*

rii; posthac repositum est pinguius δῆμον. Maxime autem offendunt hi versus 509-511.

Ταραχὴ γ' ἀδελφῶν τις δι' ἔρωτα γίγνεται
Πλεονεξίαν τε δωμάτων· ἀπέπτυσα
Τοιάνδε συγγένειαν ἀλλήλων πικράν.

Tribus versibus tres anapaesti positi sunt, qui evitari facile poterant: sententia intricata et obscura, nec satisfacit coniecturarum ulla: non novi apud Euripidem alium locum, in quo sit vox ταραχὴ, neque in quo πλεονεξία, quarum praeterea vocum significationes h. l. ita ambiguae sunt, nihil ut certi de sensu proferri possit. Quid multa? Haec ab emendatore profecta esse mihi persuadeo, quum in priore editione fere ita sermonem continuasset Agamemno:

Αἰνῶ σε, Μενέλαος, ὅτι παρὰ γνώμην ἐμήν
Μετέθηκας ὀρθῶς τοὺς λόγους σοῦ τ' ἀξίως·
Ἀλλ' ἤκομεν γὰρ εἰς ἀναγκαίας τύχας,
Θυγατρὸς αἱματηρὸν ἐκπρᾶξαι φόνον.

Vs. 543. incipit chori egregium carmen ex antispastico mixtum cum choriambico metro:

Μάκαρες οἳ μετρίας θεοῦ
Μετά τε σωφροσύνας μετέσχον
Λέκτρων Ἀφροδίτας
Γαλανείᾳ χρησάμενοι.
Μαινόμεθ' οἴστρων ὅθι δὴ

Δίδυμ' Ἔρως ὁ χρυσοκόμας
Τόξ' ἐντείνεται χαρίτων,
Τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωνι πότμῳ,
Τὸ δ' ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς.
Ἀπενέπω νιν ἀμετέρων
Ὦ Κύπρι καλλίστα θαλάμων.
Εἴη δέ μοι μετρία μὲν
Χάρις, πόθοι δ' ὅσιοι,
Καὶ μετέχοιμι τᾶς Ἀφροδίτας,
Πολλὰν δ' ἀποθείμαν.

Ita haud dubie scribenda stropha, cuius sensus difficilis est; sed in hoc quum commorari non liceat, moneo tantum, quod adhuc nemo plane perspexit, chorum non solum infaustum amorem deprecari, sed omnem amorem, et felicem, qui afferat εὐαίωνα πότμον, et infelicem, qui vitam perdat, *propterea quod insaniamus, quicunque amemus*, sive auratum telum Cupido mittat, secundum illud et prosperum, sive plumbeo utens amatique animum a nobis avertens, adversae fortunae auctor sit: utrumque enim amorem vehementem esse: se sibi modicam Venerem exoptare, non cuius Cupido conciliator sit, sed cuius Hymenaeus seu legitimae nuptiae. Iam quam male hoc carmen me habuerit, non dissimulabo: Theophrasto enim auctore Athenaeus XIII, p. 562. E, re-

fert ad Chaeremonem aliquid eorum, quae hic dicta sunt: Θεόφραστος δ', inquit, ἐν τῷ Ἐρωτικῷ Χαιρήμονά φησι τὸν τραγικὸν λέγειν, ὡς τὸν οἶνον τῶν χρωμένων (τοῖς τρόποις) κεράννυσθαι, οὕτω καὶ τὸν Ἔρωτα, ὃς μετριάζων μὲν ἐστὶν εὔχαρις, ἐπιτεινόμενος δὲ καὶ διαταράττων χαλεπώτατος. διόπερ ὁ ποιητὴς οὗτος οὐ κακῶς αὐτοῦ τὰς δυνάμεις διαιρῶν φησὶ, δίδυμα γὰρ τόξα αὐτὸν ἐντείνεσθαι χαρίτων, τὸ μὲν ἔπ' εὐαίωνι τύχᾳ, τὸ δ' ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς. ὁ δ' αὐτὸς οὗτος ποιητὴς καὶ περὶ τῶν ἐρώντων ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Τραυματίᾳ φησὶν οὕτως κ. τ. λ. Utrum, quod Brunckio videbatur, erravit Athenaeus, male intellecto Theophrasti loco ex Chaeremone afferens, quae ille ex Euripide citaverat? Illa enim verba sunt ex Chaeremone, qui dixit de vino:

Τῶν χρωμένων γὰρ τοῖς πρόποις κεράννυται,

Aristot. Probl. III, 16. Plutarch. de Pyth. Oracc. p. 426. B. quorum priorem si nosset Schweighaeuserus ad Athen. l. c. aliter iudicaturus de Grotio fuisset. An alter horum poetarum ab altero mutuatus hos versus est? Ita sentit Schweighaeuserus: *At potuerat*, inquit, *etiam Chaeremon, ut persaepe factum a poetis scenicis novimus, versus istos ab Euripide mutuari. Quae fortasse etiam causa est, cur nonnihil*

in his immutatum sit: nam pro eo, quod hic legitur ἐπ' εὐαίωνι τύχᾳ, Euripides ἐπ εὐαίωνι πότμῳ dixerat. Quod si res ita habet, indagandum est, numne a Chaeremone Euripides, minor puta, an ab hoc ille duxerit: verum de Chaeremonis aetate non liquet. Citatur praeter plura Aristotelis loca Eubulo Comico ap. Athen. II, p. 65. quem Olympiadum descriptio ponit Ol. CI, 1. ego vero aequalem fuisse censeo Ararotis Aristophanis filii ex Athen. XI, p. 471. E. Inde tamen colligi nequit, Chaeremonem ante actam hanc Iphigeniam non docuisse. Haec quum ita sint, certi quidem nihil pronunciem: sin autem minor Euripides haec e Chaeremone mutuatus sit ac strophae intexuerit, melius intellexerim, unde tanta et strophae et antistrophae difficultas venerit. emendator enim arctioribus circumscriptus terminis, contortiore oratione utatur necesse est, quam qui suos sibi limites ipse ponit primitivus poeta, praesertim si ille alieni scriptoris verba exprimere conetur. Porro Plutarchus T. II, p. 132. A. Πρὸς τὸν οἶνον, dicit, ἅπερ Εὐριπίδης πρὸς τὴν Ἀφροδίτην, διαλεκτέον·

Εἴης μοι μέτριον δέπας, εἴης
Μηδ' ἀπολείποις.

Tentavit Valckenarius Diatr. p. 242.: mihi videtur in Euripideis fuisse hoc:

Εἴης μοι μετρία, Κύπρι,
Εἴης μηδ' ἀπολείποις,

poteratque id in fine strophae olim fuisse, ubi nunc similia sunt. Cf. et Helen. vs. 1012. Hippol. vs. 528. Med. vss. 633 sqq. In eiusdem carminis epodo vs. 577. habes:

Βάρβαρα συρίζων, Φρυγίων
Αὐλῶν Ὀλύμπου καλάμοις
Μιμήματα πλέκων.

Ita locus interpungendus, vulgo male intellectus: construendum enim per hyperbaton Φρυγίων αὐλῶν καλάμοις πλέκων μιμήματα Ὀλύμπου. Sed pro v. πλέκων codd. habent πνέων, quod nescio an diversae editionis sit. Vs. 626. Clytaemnestra Achilli Iphigeniam elocatura dicit Orestae infanti:

Ἀνδρὸς γὰρ ἀγαθοῦ κῆδος αὐτὸς ἐσθλὸς ὤν
Λήψει τὸ τοῦ Νηρῆδος ἰσόθεον γένος.

Leg. τὸ τῆς Νηρῆδος aut τὸ Νηρέως παιδός. Sed haec non conveniunt vss. 697 sqq. ubi Clytaemnestra *genus* viri sese ignorare dicit:

Τοὔνομα μὲν οὖν παῖδ' οἶδ' ὅτῳ κατήνεσας,
Γένους δὲ ποίου χῴπόθεν, μαθεῖν θέλω.

Talis discrepantia primitivo et uni auctori imputari nequit, qui non poterat sine summa

negligentia oblivisci quae paullo ante scripserat. Sed emendator, quem in vss. 634—691. potissimum grassatum esse conieci cap. XX., etiam in subsequentibus continuo multa mutare et inserere poterat, oblitis iis, quae paullo superius ab auctore dicta erant. Quis nescit Homericum exemplum Pylaemenis filio Harpalioni in funus prodeuntis Il. *ν*, 658. quum ipse occisus esset *ε*, 578? V. Wolf. Prolegg. p. CXXXIII. cui sane rei hoc est simillimum. Venio iam ad vs. 792.

> Τίς ἄρα μὴ οὐ πλοκάμους κόμας
> Ἕρυμα δακρυόεν τ' ἀκούσας
> Πατρίδος οὐλομένας ἀπολωτιεῖ;

Iunge πλοκάμους κόμας et ἀπὸ κοινοῦ hoc κόμας trahe ad seq. ἕρυμα δακρυόεν, hoc sensu: *Quis non comae capillos, capitis sive faciei verecundum et pulcherrimum tegumentum nunc lacrymis perfusum evellet, quando eversam audiverit patriam?* De puellari coma loquitur insigni decore, audaciore lyrica oratione. Κόμας ἕρυμα, h. e. κόμη ἐρυομένη, *tegens caput faciemque et ornans*; sic vs. 189. ἀσπίδος ἕρυμα, *scutum defendens*, sic ap. Plat. Legg. III, p. 680. E. τειχῶν ἐρύματα. Haec igitur causa est, cur diduxerim δακρυόεν τ'. Et ita expedita omnia, nisi quod varia est lectio ἀνύσας p. ἀκούσας, credo ex priore editione, hoc dicens

Quis non comas propere evellet propter eversam patriam? ad genitivum intellecta praepositione ἕνεκα, ut vss. 370. 621. V. Heindorf. ad Plat. Gorg. p. 39. Mutatum hoc fortasse erat, quod videbatur obscurius. Vs. 824.

Οὐ θαῦμά σ' ἡμᾶς ἀγνοεῖν, οὓς μὴ πάρος
Κατεῖδες· αἰνῶ δ' ὅτι σέβεις τὸ σωφρονεῖν,

mss. legunt ὃ προσέβης ἄν, quod nescio quid olim fuerit: potest tamen pro corrupta varia lectione diversae editionis haberi. Mox vs. 891.

Εἴπερ ἀλγεινὸν τὸ τέκνων στερομένην δακρυρροεῖν,

Cod. A. τὸ παίδων, *ex glossemate*, inquit Markl. Sed τέκνων quis interpretetur glossemate? Equidem a maiore Euripide hic scriptum putem esse παίδων, a correctore vero repositum τέκνων, quod hoc mollius quid sonaret. Versus 1134. in quibusdam libris praefixam habet formulam ἔχ' ἤσυχος, quae quum extra versum poni non soleat, videtur esse varia lectio spectans ad vs. 1133. ubi legitur ἔα, ut ita fere scriptum fuerit:

Ἔχ' ἤσυχος· τλήμονα λέγεις ἃ μή σε χρή.

Vs. 1219.

Ἡδὺ γὰρ τὸ φῶς
Βλέπειν· τὰ δ' ὑπὸ γῆς μή μ' ἰδεῖν ἀναγκάσῃς,

Plutarchus habet de aud. poet. p. 17. C. λεύσσειν· τὰ δ' ὑπὸ γῆν, nescio an ex alia editione. Similia v. ap. Valck. Diatr. p. 140 sq. Vss. 1242. sqq. scribe cum Heathio:

Ἀδελφὲ, μικρὸς μὲν σύ γ' ἐπίκουρος βροτοῖς
Ὅμως δὲ σὺν δάκρυσ' ἱκέτης γίγνου πατρὸς
Τὴν σὴν ἀδελφὴν μὴ θανεῖν· αἰσθημά τι
Κἂν νηπίοις γε τῶν κακῶν ἐγγίγνεται.

Markl. illud *ἱκέτης γίγνου* satis speciose prò glossemate habet, frigide idem corrigens *πάρος*, quod verbum *ἱκετεύειν* ab ipso restitutum non admittat genitivum. Πατρὸς manifeste ostendit verum esse illud *ἱκέτης γίγνου*, et codicum lectio, *συνδάκρυσον, ἱκέτευσον* pro varietate alterius recensionis est habenda, quo pertinet fortasse et scriptura cod. A. *τὴν σὴν ἀδελφὴν ὡς αἰσθημά τι*, unde Markl. coniecit *τὴν σὴν ἀδελφὴν σῶσον· ὡς κ. τ. λ.* An igitur in priore editione fuit tale quiddam:

Ὅμως δὲ συνδάκρυσον ἱκέτευσόν τέ νιν·
Τὴν σὴν ἀδελφὴν σῶσον· ὡς αἰσθημά τι

mutatum ab emendatore tanquam nimis vagum et nefandam caedem disertis verbis non tangens? Hoc utut est, certe scribendum *μὴ κτανεῖν* e vs. 1015. Ἱκέτευ' ἐκεῖνον πρῶτα μὴ κτείνειν τέκνα, unde fortasse repetita correctio erat. Vs. 1344.

Οὐκ ἐν ἀβρότητι κεῖσαι πρὸς τὰ νῦν πεπραγμένα,

duo mss. legunt τὰ νῦν πεπτωκότα: utrumque bonum, ut emendationem potius quam interpretationem subesse putem. Vs. 1573. vulgo sonat:

Ἔλεξε δ' ὦ θηροκτόν' Ἄρτεμι, παῖ Διός.

Sed codd. Parisienses:

Ἔλεξε δ' ὦ Διὸς Ἄρτεμις θηροκτόνε.

Hoc elegantius: an et hic recensionis agnoscitur diversitas? Versum 1580. delet Valck. ad Phoeniss. vs. 1378. et sane pessimus est: nolo tamen hoc trahere ad probandam meam sententiam. Idem sentio de vs. 1589. quem Marklandus spurium iudicat; et plures afferri possint eiusmodi loci in extrema fabulae parte Euripide parum digni. Abstinendum vero erat a falso citatis;versus, quos Stobaeus p. 531. profert ex Iphigenia Aulidensi, obvii sunt Ion. vs. 381. quosque p. 558., ii reperiuntur Herc. fur. vs. 1290. Utrumque tamen fefellit Valckenarium Diatr. p. 229. Qui vir quum in isto eruditissimo libro plura sive falso sive audacius pronunciarit, num reprehensione digni sumus, si nos quoque in hoc capite quaedam sumus ausi? Hoc unum opus est, ut sese suaque quivis noscat, ne de se iudicet

magnificentius: cuius praecepti memores non nos pro aeribus lupinos vendimus: quid sentiamus, fatemur ingenue. Nempe coniecturas tantum proferre voluimus, quae nobis plus minus visae essent probabiles: earum ut pars dilabatur, una saltem et altera manebit particula: certam autem de his variis lectionibus scientiam neutiquam habere credimus.

Caput XXIII.

An Baccharum Euripidis repetita editio extiterit a minore confecta, et utra sit superstes.

Quum una cum Alcmaeone et Aulidensi Iphigenia a minore Euripide producta Bacchae sit maiore defuncto (cap. XVIII.), ambae autem illae non novae fuerint, sed repetitae (cap. XVII.), consentaneum est *Bacchas* quoque non tum primum prodiisse, et emendatam ab eodem esse, a quo Iphigenia, ab editore, propinquo Euripidis cognomini. Ac si duplex extiterit recensio, eadem supererit, quae quum una cum interpolata Iphigenia repe-

teretur, coronata est; primum, quod ex duabus tragoediis, quarum altera editio coniunctim et commissa et praemio donata est, non alterius prior, alterius posterior recensio ita inclarescere potuit, ut prae altera servaretur: deinde, quod Euripidearum fabularum, quarum duae editiones fuerunt, posteriores ad nos pervenerunt potissimum, ut Medeae, Hippolyti, Iphigeniae Aulidensis: postremo, quod ex duabus recensionibus si altera vicerit, haec victrix celebrior facta est et aetatem tulit diutius, ut videmus in Aulidensi Iphigenia et Coronato Hippolyto. Quae quum apud animum reputarem, incidit suspicio, etiam nostram Bacchas, ut nunc legitur, non a maiore Euripide profectam esse, sed a minore interpolatam. Ante omnia igitur quaerendum erit, an veteres habuerint editionem geminam. Hoc ego nunc conabor ostendere quibusdam indiciis, etsi non tantis tamque apertis, quam in Iphigenia: at nescio an remitti debeat aliquid a severitate demonstrationum in re post hactenus dicta probabili etiam nullo allato argumento. Primum nihil obstat, quominus Bacchae, quae superest, fabula esse possit Euripidem minorem emendatorem passa: nam quod prologo drama hoc instructum est, Iphigenia non est, diversum auctorem haud arguit, sed ratione agentem: ut

enim nunc Baccharum prologus habet, non in eo exitus fabulae universus proditur, quod prologi Euripidei incommodum est praecipuum: itaque prologus aut relinqui integer poterat, si ab initio talis fuit, aut in praesentem formam redigi, in qua nihil offensionis praebebat. Quaenam autem duplicis editionis sunt indicia? Varia sane: sed alienus ab omni cupiditate infirmabo nonnulla, quae quis proferre pro mea sententia possit. Primum dico *nomen duplex* Baccharum et Penthei, quo titulo notatur in optimo cod. Florentino: v. Voss. in Catull. p. 221. Valck. Diatr. p. 16. id quod apud veteres est in correctis fabulis. V. Casaub. ad Athen. III, p. 211. Tamen, quum et aliae fabulae duplici nomine citentur, ut Hippolytus ac Phaedra una eademque est, nolo hoc argumento uti. Sic habentur Aeschyli et Iophontis fabulae et Penthei et Baccharum inscriptione insignitae: v. Valck. l. c. Alias multa dramata sunt Penthei aut Baccharum nomine notata, Pentheus Thespidis ap. Polluc. VII, 12. et Chaeremonis ap. Suid. v. Aristot. Rhet. II, 23. Bacchae Tragicorum Cleophontis ap. Suid. et Eudoc. p. 270. Xenoclis ap. Aelian. V. H. II, 8. Comicorum Antiphanis ap. Athen. X, p. 441. C. Dioclis, de quo v. Fabric. B. Gr. T. II, p. 437. ed. Harles. Epicharmi ap. Athen. III, p. 106. A. coll. Fa-

bric. p. 300. Lysippi ap. Athen. III, p. 238. C. Epigenis ap. Athen. IX, p. 384. C. coll. Fabric. p. 441. Nostrum hoc drama proprie Baccharum nomine appellatum fuit. Argum. Ἡ μυθοποιΐα κεῖται παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Πενθεῖ· τὸ ὄνομα μόνον μεταπεποίηται Εὐριπίδῃ. Sed in his quid commoror? Potius quaerendum, an *loca* inveniantur *ex Euripidis Bacchis citata*, quae haud reperias in nostra: id quod res est. Schol. Aristoph. Plut. vs. 908. inde habet versum:

Εἰ μὴ γὰρ ἴδιον ἔλαβον εἰς χεῖρας μύσος,

qui nusquam legitur. Neque usquam in hac fabula obvium verbum, quod inde affertur in Glossario Sangermanensi Bibl. Coisl. p. 482. Λελάβημαι, ἀντὶ τοῦ εἴλημμαι. Ἡρόδοτος ϛ' καὶ δ', Εὐριπίδης Βάκχαις. Cf. Valck. ad Herodot. p. 217. Sed, inquis, lacuna est post vs. 1328. Tyrwhitto ac Brunckio animadversa; ex deperditis ibi versibus Anglus putabat unum esse hunc a Scholiasta Pluti citatum. Recte: modo ne alia sint correctionis indicia; quae si fuerint, saltem incerti simus, utrum ex deperdito loco an ex alia recensione versus depromptus sit: immo tum ipsa lacuna nata ex editionum confusione possit videri. Quae utinam ex libris aliquando suppleatur, quamquam exigua spes est, postquam Bredovius, inspectis Parisiensibus Baccharum codicibus

omnibus, praeter unum versum post 1328. quem editurus est in Epistolis Parisiensibus, reperit nihil. Porro Suidas allato Theognidis vs. 625. *Ἀργαλέον φρονέοντα παρ' ἄφροσι πόλλ' ἀγορεύειν*, addit: *Εὐριπίδου λόγος Βάκχαις*. Haud rari apud tragicos sunt versus non modo hexametri dactylici, sed heroici, ut Sophocl. Trachin. vss. 1011-1014. 1018-1022. Fragm. Thamyr. vs. 5. Iphicl. vs. 2. Eurip. Bacch. vs. 142. Suppl. vss. 271 sqq. Troad. 590. etc. et apud Aeschylum adeo Suppl. vss. 69. 77. Agam. vss. 105. 119. 122. 137. 151. 155-157. itaque posset hic heroicus versus facile esse *λόγος Εὐριπίδειος* sive *ἔπος Εὐριπίδειον* (v. Suid. *v. Εὐριπίδειον ἔπος*) ex Bacchis depromptum. Vanum tamen hoc est; potius, quod vidit Piersonus Verisi mill. p. 120. excidit ap. Suidam vs. Baccharum 480.

Δόξει τις ἀμαθεῖ σοφὰ λέγων οὐ σωφρονεῖν.

Cf. Med. vs. 301. Falsus igitur Suidas est, similiterque D. Maximus in Schol. ad Dionys. Areopag. T. I, p. 90. ex Bacchis citans haec Orestae (vs. 835.): *Δρομάσι δινεύων βλεφάροις*, ordine paullulum inverso; ubi ipse Orestae locus errori originem dedit. Sane falso citatis nihil in hoc genere usitatius est, ut statim ex Andromacha citat Stob. Serm. CXV, p. 590. quae sunt in Bacch. vs. 1240: non tamen eo

haec valent, ut eiusmodi omnia haberi debeant pro falso citatis. Unum enim superest, quo credo conficietur res nondum fere affecta. Suidas v. Ἀρίστιππος· Καὶ πρὸς Διονύσιον, inquit, τῆς Σικελίας τύραννον ἐλθὼν καὶ πίνων ἐνίκα καὶ ὀρχήσεως τῆς ἄλλης κατῆρξεν ἐνδὺς ἐσθῆτα ἁλουργῆ· Πλάτων δὲ προσκομιζομένης αὐτῷ τῆς στολῆς εἶπεν Εὐριπίδου ἰαμβικά·

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν,
Ἄρρην πεφυκὼς καὶ γένους ἐξ ἄρρενος.

Ἀρίστιππος δὲ δεξάμενος καὶ γελάσας εἶπε τοῦ αὐτοῦ ποιητοῦ·

Καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
Ὁ νοῦς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

Haec narratiuncula, ut plurima Suidae, derivata est ex antiquo fonte; quumque aulae Dionysii ingenium prorsus referat, non video quo iure in dubitationem revocari queat. Prior versuum a Platone pronunciatorum est Bacch. vs. 835. alter deest. *Sed alterum*, inquit Heathius, *forte ipse Plato addidit, aut ex alia tragoedia desumpsit.* Hoc tandem facetum esset, si Plato forte addidisset: certe nullum consilium excogitari posset, nulla ratio, propriaque verbi significatione fecisset id *forte.* Cur addidisset de suo? cur ex alia tragoedia assuisset? Risissent philosophum gravissimum centone Euripideo sese defendentem: ut pro-

fert Plato, ita versus fuisse debent apud Euripidem. Aristippi responsio paulo aliter legitur Bacch. vs. 317.

Καὶ γὰρ ἐν βαχχεύμασιν
Οὔσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

Ad haec Musgravius, *Quamquam hoc*, ait, *ni fallor, non est varia lectio, sed potius inflexio versus a philosopho.* Quis hoc credat? Nonne frigidissimum est et inelegantissimum *οὔσ' ἥ γε σώφρων*? Et quam Euripideum hoc, *ὁ νοῦς ὁ σώφρων*! Philosophi non mutatis Euripidis versibus sibi respondere debebant, si volebant faceti esse. Haec quum ita habeant, hos versus sic, ut sunt apud Suidam, olim in Euripide lectos esse arbitror; posthac mutati sunt in recensione iterata, neque id ex causis ita reconditis. Nempe alter versuum a Platone recitatorum, quum novam et necessariam sententiam non contineret, licet nihil haberet contra artem neque indolem linguae peccans, (nam nota quidem formula *καλὸς καὶ ἐκ καλῶν, βελτίων καὶ ἐκ βελτίονων* etc.) abiectus in altera editione est, quod totus iste Bacchi cum Pentheo sermo ita in hac conformatus est, ut singulis versibus respondeatur ad singulos, non binis ad binos, aut singulis ad plures, aut similiter; qua de re v. cap. ult. Correctio altera, *οὔσ' ἥγε σώφρων*, talis est, eam ut acri cuidam censori, quam Euripidi imputare ma-

lim, qui censor philosophorum vocem νοῦς h. l. ferret aegrius, quive sententiam ab Euripide more suo generatim pronunciatam accomodare vellet rebus praesentibus, ne Tiresias esset Τήλεφος Μυσὸς ἐκ πηριδίου Γνώμας τρώγων Πανδελετείους. At, inquit, concidunt haec speciosa argumenta inspecto Stobaeo Serm. V, p. 140 sq. ed. Schow. qui eadem narrans omnia vulgata ratione scripta exhibet: Διονύσιος Ἀρίστιππον ἔπειθεν ἀποθέμενον τὸν τρίβωνα πορφυροῦν ἱμάτιον περιβαλέσθαι. καὶ πεισθεὶς ἐκεῖνος τὰ αὐτὰ καὶ Πλάτωνα ποιεῖν ἠξίου. ὁ δὲ ἔφη:

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν.

Καὶ Ἀρίστιππος, Τοῦ αὐτοῦ, ἔφη, ἐστὶ ποιητῦο·

Καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
Οὖσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

Antiquior, dixeris, Stobaeus est; maiorem fidem habet. Et quid Stobaeus? Nonne sic etiam Diogenes Laertius II., 78? nonne et Athenaeus XII, p. 544. E.? ubi est de Aristippo,

Καὶ μύροις ἐλούετο καὶ ἔφασκεν ὅτι

Κἀν βακχεύμασιν
Οὖσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

Hi omnes antiquissimi testes vulgatam Euripidis lectionem agnoscunt. Verum ex aetate non pendet testium auctoritas: et unde quaeso

diversitas ista lectionis venerit in Suidam, indoctum profecto hominem, si ei libros suos surripueris? Quo quis est doctior, eo in hoc minorem fidem habet, quod eruditus grammaticus adito ipso Euripide corrigere versus ad vulgata exemplaria poterat licet sibi aliter traditos. Et quo quis stupidior est, eo mihi magis valet ibi, ubi non de iudicio, sed de servanda traditione agitur: quoque Suidas recentior est, eo testem minus corrumpere potuit. Quid multa? Qui nulla varietate versus exhibent docti antiquiores, repererunt eos ita traditos, ut Suidas, correxerunt ex suis exemplis, correctos nobis transmiserunt: Suidas sintne Euripidis necne, nihil inquirens, relatos bona fide rursus nobis retulit, eaque via nobis antiquissimam servavit lectionem. Num etiam dubitas? Quin tu audi scriptorem optimae notae ac satis antiquum, Sextum Empiricum Pyrrhon. Hypot. III, 24. Καὶ παρὰ Διονυσίῳ, inquit, τῷ τῆς Σικελίας τυράννῳ τοιαύτης ἐσθῆτος Πλάτωνι καὶ Ἀριστίππῳ τοῖς φιλοσόφοις προσενεχθείσης ὁ μὲν Πλάτων ἀπεπέμψατο εἰπών·

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν,
Ἄρρην πεφυκώς.

ὁ δὲ Ἀρίστιππος προσήκατο φήσας·

Καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
Οὕσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

Vides Sextum partem certe illius versus servasse, Ἀρρὴν πεφυκώς: cetera ne ipse quidem fideliter retulit; Suidas vetusta scrinia religiosius compilans plura et magis genuina prodidit, eique nunc ex antiquiore, licet in hoc negligentiore, maior accessit fides.

Caput XXIV.

Indicia correctionis in Bacchis quae superest. Bacchae Attii. Intermiscentur metrica quaedam. Demosthenis aetate actae fabulae principum tragoediae.

Aristophanes, quum in Ranas e Bacchis Euripidis multa transferre liceret, nihil omnino ex iis mutuatus est, cuius quidem adhuc vestigium superesset: quod si secus haberet, multo melius res nostra posset perduci ad liquidum, plane ut in Aulidensi Iphigenia: nunc quoniam ab hac parte claudicamus, videndum an ex ipsa fabula erui argumenta queant interpolationem indicantia. Nec tamen haec eo disputabo consilio, ut drama habeatur Euripide indignum: primum enim plurima sunt huius poetae nescio qua muliere quam tragico

digniora, et tantum abest, ut acerbius dictum hoc putem, quod garrulo rhetori apud forum declamanti comparatus sit, ut etiam leniter hoc pronunciatum videatur, praesertim a Sophocle venienti et Aeschylo, cum labente republica artis quoque labe patefacta. Nihil nunc de universa fabulae conformatione, nihil de finibus tragoediae in Euripide longe humilioribus: adeo singulae scenae passim sunt turpissimae, cuius rei foedum exemplum est Orest. vss. 356—726. quae qui probat, nae is facetus est fabularum iudex. Quin Hermannus Praef. ad Hecub. p. LXIII. dolet Mnesarchidam invitis Musis ad poesin accessisse. Contra, ut eximias poeta virtutes habet, ita eae in Bacchis quoque elucent; ut antistrophica vss. 73 sqq. ad Phrygias cantata tibias Atheniensium animos haud dubie molliter moverunt: quapropter et Luciano T. III. p. 114. Bacchae videtur *βιβλίον κάλλιστον*. Βιβλίον κάλλιστον dixit Lucianus; dicas etiam *τραγῳδίαν καλλίστην*: adeo enim tragicam formam refert, ut nonnisi imperito satyrica fabula videri potuerit, licet ex Bacchicis argumentis subinde satyricae desumptae sint, ut *Lycurgus Aeschyli*, quae ex Hermanni annotatione ad Aristot. Poet. p. 176. addatur satyricis Aeschyli cap. III. recensitis. Unum est, in quo Bacchas non laudaverim, legem carminis dico, quae com-

parata Heraclidis longe tibi liberior, solutior, negligentior videbitur: ex quo tamen non licet correctionem arguere, quum ignoretur, quando fabula acta sit; nisi ex numerorum diversitate in singulis partibus colligere quid velis. Sic mihi iambici versus 1051 — 1150. multo meliores videntur esse, quam aliis plurimis locis. Praeterea alia, ni fallor, indicia sunt correctionis a minore Euripide factae; sunt variae lectiones, imitationes, alieni versus, commissurae, inconstantiae, de quibus agam ordine versuum. Prologum Bacchu, orditur sic:

Ἥκω Διὸς παῖς τήνδε Θηβαίων χθόνα
Διόνυσος, ὃν τίκτει ποθ' ἡ Κάδμου κόρη
Σεμέλη λοχευθεῖσ' ἀστραπηφόρῳ πυρί.

Haec posses suspecta de imitatione haberes nisi toties Euripides repetiisset in fabulis indubitatis, ut in Hecuba Polydorus inquit:

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
Λιπὼν ἵν' Ἅδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν,
Πολύδωρος Ἑκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως.

Neque aliter in Troadibus Neptunus, in Ione Mercurius. Pergit Bacchus prologi vss. 13—25.

Λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πολυχρύσους γύας
Φρυγῶν τε Περσῶν θ' ἡλιοβλήτους πλάκας,
Βάκτριά τε τείχη τήν τε δύσχειμον χθόνα

Μήδων ἐπελθὼν Ἀραβίαν τ' εὐδαίμονα,
Ἀσίαν τε πᾶσαν ἣ παρ' ἁλμυρὰν ἅλα
Κεῖται μιγάσιν Ἕλλησι βαρβάροις θ' ὁμοῦ,
Πλήρεις ἔχουσα καλλιπυργώτους πόλεις,
Εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν.
Κἀκεῖ χορεύσας καὶ καταστήσας ἐμὰς
Τελετὰς ἵν' εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς,
Πρώτας δὲ Θήβας τῆσδε γῆς Ἑλληνίδος
Ἀνωλόλυξα, νεβρίδ' ἐξάψας χροός
Θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα, κίσσινον βέλος.

Primus versus ab auctore Christi patientis vs. 1593. ita effertur:

Ὅς τὰς Λυδῶν πανευκλεεῖς πόλεις λιπών.

An legit in Euripideis:

Λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πανευκλεεῖς πόλεις?

quod mutari poterat euphoniae gratia, reposito altero, cui simile Iphig. A. vs. 786. αἱ πολύχρυσοι Λυδαί: licet etiam sua sponte pius Christi patientis scriptor, auro scilicet inimicus, potuerit corrigere, quod utinam absque versus damno fecisset. Post vs. 16. idem addit hunc:

Ἔθνη τὰ μακρὰν καὶ σκότῳ βεβυσμένα,

cuius singulae voces sapiunt Christianismum. Sed cur scripserit,

ἣν παρ' ἁλμυρὰν ἅλα
Ἕλλησι κεῖσθαί φασι βαρβάροις θ' ὁμοῦ,

nisi ita habuerit in exemplari suo, equidem non perspicio: et meliorem profecto hic versus numerum praebet, reducta usitata caesura et substituto iambo pro tribrachy. Postremo vss. 20 — 24. prope singuli non cohaerent: quocirca scripsit Piersonus Verisimill. p. 121.

Κἀκεῖ χορεύσας καὶ καταστήσας ἐμάς
Τελετὰς ἵν' εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς
Εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν.

Sed ne hoc quidem placet: quam inepta enim esset repetitio sequente continuo versu:

Πρώτας δὲ Θήβας τῆσδε γῆς Ἑλληνίδος
Ἀνωλόλυξα.

Nam ἥδε Ἑλλήνων πόλις pro linguae indole non potest de universa Graecia accipi; sed est de ipsis Thebis. Item ἀνωλόλυξα foret hic ὀλολυγμὸν ἐκίνησα, ut recte Brunckius exponit, quod vereor ut Graecum sit: certe omnibus, quos novi, tragicorum locis neutra significatione usurpatur ἀνολολύξαι et ἐπολολύξαι. V. Eurip. Troad. vs. 1000. Iphig. T. v. 1337. Med. vs. 1173. Sophocl. Electr. vs. 750. Aeschyl. Agam. vs. 1228. Choeph. vs. 932. et ἀνολολύξαι, Eurip. Helen. vs. 376. Aeschyl. Agam. vs. 1066. Haec me movent, ut verba Πρώτας δὲ Θήβας τῆσδε γῆς Ἑλληνίδος habeam pro varia lectione desumpta ex priore editione, et ut locum ita censeam continuandum:

Εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν.
Κἀκεῖ χόρευσα καὶ καταστήσας ἐμὰς
Τελετὰς ἵν' εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς
Ἀνωλόλυξα, νεβρίδ' ἐξάψας χροός
Θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κίσσινον βέλος.

Vs. 102.

Ἔνθεν ἄγραν θηροτρόφοι Μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις,

mss. E. G. habent θυρσοφόροι. Hoc, credo, fuit prioris editionis, mutatum posthac in θηροτρόφοι; illud generalius, hoc nostro loco accommodatius. Vs. 126.

Ἅμα δὲ βακχείᾳ συντόνῳ
Κέρασαν ἡδυβόᾳ Φρυγίων
Αὐλῶν πνεύματι, ματρός τε Ῥέας
Εἰς χέρα θῆκαν, κτύπον εὐάσμασι Βακχᾶν.

Ald. κτύπον ἔν τ' ἄσμασι Βακχᾶν. Bonus sensus: *Et sonabant inter cantus sive vociferationes Baccharum.* Sed Strab. X., p. 469. καλλίκτυπον εὔασμα Βακχᾶν legit, quod referendum ad tympanum, βυρσότονον κύκλωμα τόδε vs. 124. Haec non dubito quin sint diversarum editionum. Vs. 150. habes:

Ἅμα δ' ἐπ' εὐάσμασιν ἐπιβρέμει
Τοιάδ' ὦ ἴτε Βάκχαι,
Ὦ ἴτε Βάκχαι.

Post vs. 150. mss. E. G. addunt: *ἐπὶ λιγεῖ ἤχει*, quod videtur varia lectio diversae editionis esse ad illud *ἐπ' εὐάσμασιν*. *Λιγὺς ἦχος* est Baccharum, quas *Attius* in Bacchis, quae ex hac Euripidis fabula liberius translata est, iudice Scaligero (Coniectt. in Varr. p. 88 sqq.) vocat *Acre crepantes melos*. V. Fragmm. Scriver. p. 208. Deprehendas etiam vestigia Euripidis in hoc dramate Attii. Fragmm. p. 107. legimus,

Nam flóri crines vídeo ut propexí iacent.

Respicitur vs. 455.

Πλόκαμός τε γὰρ σοῦ ταναὸς, οὐ πάλης ὕπο,
Γένυν παρ' αὐτὴν κεχυμένος, πόδου πλέως.

Duo sunt alia,

Deinde ab iugulo pectus glauco pampino obnixe obtexunt,

Et,

Tum sylvestres exuvias laevo pictas lateri accommodant.

Voss. Castigg. in Att. p. 143. corrigit optime, *Obnixe obtexunt*. Pro *v. sylvestres* alii *pecudum*. Iunctis fragmentis fortasse legendum:

Deínde ab iugulo péctus glauco pámpino,
Obníxe obtexunt: túm pecudum sylvéstrium
Exúvias laevo pictas lateri accómmodant.

Simile vs. 694.

Καὶ πρῶτα μὲν καθεῖσαν εἰς ὤμους κόμας,
Νεβρίδας δ' ἀνεστείλανθ', ὅσαισιν ἀμμάτων

Σύνδεσμ' ἐλέλυτο καὶ καταστίκτους δοράς
Ὄφεσι κατεζώσαντο λιχμῶσιν γένυν.

Idem poeta Romanus:

Deinde ómnes stirpe cum íncluta Cadméide
Vagánt matronae pércitae tumúltubus.

Vulgo *tumultu*, mutilo versu, quem mihi recte videor restituisse: alii aliter. Non dubito haec expressa esse de prologo Bacch. vs. 35.

Καὶ πᾶν τὸ θῆλυ σπέρμα Καδμείων, ὅσαι
Γυναῖκες ἦσαν, ἐξέμηνα δωμάτων.
Ὁμοῦ δὲ Κάδμου παισὶν ἀναμεμιγμέναι
Χλωραῖς ὑπ' ἐλάταις ἀνορόφοις εἶνται πέτραις.

Item haec:

(Chor.) Quis me iubilat?
(Bacch.) Vicinus tuus antiquus.
(Chor.) O Dionyse pater,
Optime viti'sator,
O Semela genitus
Euie!

nonne sunt e vs. 575. Baccharum:

Χορ. Τίς ὅδε; τίς; πόθεν ὁ κέλαδος
Ἀνά μ' ἐκάλεσεν Εὐΐου;
Διον. Ἰὼ πάλιν αὐδῶ
Ὁ Σεμέλας ὁ Διὸς παῖς.
Χορ. Ἰὼ δέσποτα, δέσποτα,
Μόλε νῦν ἀμέτερον ἐς θίασον.
Ὦ Βρόμιε, Βρόμιε.

Sed ut revertar ad rem, vss. 170 — 369. Cadmus et Tiresias, pellibus induti et armati thyrsis, invicem sese hortantur ad venerandum Bacchum, cui aetatem nihil morantes palam saltare volunt soli ex suis civibus, et tum inter se, tum cum Pentheo rege interveniente colloquentes, piam erga deum mentem ac reverentiam patefaciunt. Haec vero sermocinatio meo quidem iudicio nonnullis locis interpolata est, licet eximia scena sit, numeris quoque maximam partem elegantibus scripta: tanta mihi in ea dubitationis materia oblata est. Initium Tiresias facit verbis his:

Τίς ἐν πυλαῖσι Κάδμον ἐκκαλεῖ δόμων,
Ἀγήνορος παῖδ', ὃς πόλιν Σιδωνίαν
Λιπὼν ἐπύργωσ', ἄστυ Θηβαίων τόδε;

Confer Phrixi fragmentum ap. Schol. Aristoph. Ran. 1066. (Phoeniss. vs. 6.)

Σιδώνιόν ποτ' ἄστυ Κάδμος ἐκλιπών
Ἀγήνορος παῖς ἵκετ' εἰς Θήβης πέδον.

Vs. 193. ait Cadmus:

Γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ,

qui versus est ex Sophoclis Philocteta in Troia: v. Gell. XIII, 18. et Brunck. Fragmm. Sophocl. vs. 274. Tiresiae verba sunt ad Pentheum:

Δύο γὰρ, ὦ νεανία,
Τὰ πρῶτ' ἐν ἀνθρώποισι, Δημήτηρ θεά,
Γῆ δ' ἐστὶν, ὄνομα δ' ὁπότερον βούλει κάλει·
Ὁ δ' ἥλθεν ἐπὶ τἀντίπαλον, ὁ Σεμέλης γόνος·
Βότρυος ὑγρὸν πόω' εὗρε κἀξηνέγκατο,
Θνητοῖς, ὃ παύει τοὺς ταλαιπώρους βροτούς
Λύπης, ὅταν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς.

Valde simile fragmentum inter Eurip. incert. tragg. XIV.

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνοιν,
Δήμητρος ἀκτῆς πώματός θ' ὑδρηχόου,
Ἄπερ πάρεστι καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν;

Quid quod et numeri negligentissime elaborati sunt, et pessime certe in hoc versu,

Ὁ δ' ἥλθεν ἐπὶ τἀντίπαλον ὁ Σεμέλης γόνος,

habente nec legitimam caesuram et pedum compositionem parum pulchram. Mox pergit vates vs. 288.

Ὕπνον τε λήθην τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν
Δίδωσιν, οὐδ' ἔστ' ἄλλο φάρμακον πόνων.
Οὗτος θεοῖσι σπένδεται θεὸς γεγώς,
Ὥστε διὰ τοῦτον τἀγάθ' ἀνθρώπους ἔχειν.
Καὶ καταγελᾷς νιν ὡς ἐνερράφη Διός
Μηρῷ, διδάξω σ', ὡς καλῶς ἔχει τόδε.
Ἐπεί νιν ἥρπασ' ἐκ πυρὸς κεραυνίου
Ζεὺς, εἷς τ' Ὄλυμπον βρέφος ἀνήγαγεν νέον,
Ἥρα νιν ἤθελ' ἐκβαλεῖν ἀπ' οὐρανοῦ.

Ζεὺς δ' ἀντεμηχανήσαθ' οἷα δὴ θεός·
Ῥήξας μέρος τι τοῦ χθόν' ἐγκυκλουμένου
Αἰθέρος ἔθηκε τονδ' Ὄμηρον ἐκδιδούς
Διόνυσον Ἥρας νεικέων. Μόνῳ δέ νιν
Βροτοὶ τραφῆναί φασιν ἐν μηρῷ Διός,
Ὄνομα μεταστήσαντες, ὅτι θεᾷ θεός
Ἥρᾳ ποθ' ὡμήρευσε, συνθέντες λόγον.
Μάντις δ' ὁ δαίμων ὅδε· τὸ γὰρ βακχεύσιμον
Καὶ τὸ μανιῶδες μαντικὴν πολλὴν ἔχει.
Ὅταν γὰρ ὁ θεὸς εἰς τὸ σῶμ' ἔλθῃ πολύς,
Λέγειν τὸ μέλλον τοὺς μεμηνότας ποιεῖ.

In hac Bacchi defensione non nimis dilucide explicata, quam Tiresias vss. 286-297. absurdam rationem reddit fabulae de deo in Iovis femore olim latitante! Infelix quidem etymorum investigator est poeta noster (v. Valck. Diatr. p. 62.), verum hic res, quae explicatur, multo minus est mira quam ea, qua explicatur. Quidni usus est Mero Indiae monte? Scilicet opinor, quod novas argutias proferre malebat. Neque haec sunt suo loco posita: extollitur Bacchi dignitas et utilitas, quod hominibus alimenta, diis libationes ministret, quod vaticinii auctor sit, quod ipsius Martis provinciam ex parte ornet: haec inter ex improviso intruditur ista grammatica diatribe nihil conferens ad reprimendam Penthei irrisionem (vs. 243.) non modo dubitantis, an Semela gnatus Iovis femore conditus, sed an filius Iovis sit,

patris beneficio vivus a coelesti flamma vindicatus (v. vs 26 sqq.). Num autem novo commento augetur honos dei? Immo amplior honos erat in Iovis femore gestatum esse. Et quid si chorus concedat, quod ieiuna Tiresiae narratione negatur? Chorus quidem mysteriis initiatus, quid verum in his rebus esset, quid secus, multo quam Tiresias melius debebat nosse: mirum foret, si Bacchicis initiatae mulieres vulgares fabulas canerent, vates non initiatus intimum sensum intelligeret et exponeret. Hoc igitur dubito an a maiore Euripide ita institutum sit: tamen in nostra fabula Baccharum coetus cantat haec (vs. 94):

Λοχίοις δ' αὐτίκα νιν δέξατο Θαλάμοις Κρονίδα Ζεύς,
Κατὰ μηρῷ δὲ καλύψας χρυσέαισιν συνερείδει
Περόναις κρυπτὸν ἀφ' Ἥρας.
Ἔτεκεν δ' ἀνίκα μοῖραι τέλεσαν ταυροκέρων Θέον,
Στεφάνωσεν τε δρακόντων στεφάνοις ἔνθεν ἄγραν Θηροτρόφοι Μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις.

Sic hi versus digerendi sunt, non ut vulgo: prior pars est decapodia Ionicorum a minore una serie continuatorum, in tertio pede longarum priore soluta in breves duas, in septimo vero brevibus duabus contractis in unam longam: de quibus decapodiis v. Bentlei. ad Hor. Carm. III, 12. et Hermann. Metr. §. 321. Altera pars est et ipsa decapodia, sic tamen ut decimi pedis ultima syllaba brevis sit pro

longa, ac proinde arsis ultimi huius Ionici a minore una cum adiecto spondeo efficiat dipodiam trochaicam, numerus vero Ionicus more vulgato desinat in Anacreonticum, cui deinceps additur integer choriambus per mutationem numeri, quam Graeci musici vocant *μεταβολήν*. Plane eodem genere usus est Aeschylus Pers. vs. 72 sqq. nisi quod uno trochaeo brevius metrum est:

Κυάνεον δ' ὄμμασι λεύσσων φονίου δέργμα δράκοντος,
Πολύχειρ καὶ πολυναύτης Σύριον δ' ἅρμα διώκων
Ἐπάγει δουρικλύτοις ἀνδράσι τοξόδαμνον Ἄρην.

Et in Bacchis quidem versibus iis, quos protulimus ex antistropha, in stropha accurate respondent hi ad eandem normam a nobis descripti:

Τά τε ματρὸς μεγάλας Ὄργια Κυβέλης θεμιτεύων,
Ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων κισσῷ τε στεφανωθεὶς
Διόνυσον θεραπεύει.
Ἴτε Βάκχαι, ἴτε Βάκχαι, Βρόμιον παῖδα θεὸν θεοῦ,
Διόνυσον κατάγουσαι Φρυγίων ἐξ ὀρέων Ἑλ-
λάδος εἰς εὐρυχόρους ἀγυίας τὸν Βρόμιον.

Haec obiter. Eadem autem, quae in antistropha illa, sententia est vss. 523 sqq. ubi chorus de Baccho:

Ὅτε μηρῷ πυρὸς ἐξ ἀθανάτου Ζεύς
Ὁ τεκὼν ἥρπασέ νιν τάδ' ἀναβοήσας·

Ἰὼ ὦ Διθύραμβ' ἐμὰν
Ἄρσενα τάνδε βᾶθι νηδύν.
Ἀναφανῶ σε τόδ', ὦ Βάκχιε, Θήβαις ὀνομάζειν.

In quibus duo mutavi, alterum, quod in unum versum coniunxi ea, quae vs. 2. leguntur, iubente Hermann de metr. p. 445. de antistrophico: alterum, quod idem feci in ultimo, qui vulgo in duos dispescitur imperitissime. Est trimeter choriambicus hypercatalecticus cùm basi, ut in antistropha:

Τὸν ἐμὸν ἐντὸς ἔχει δώματος ἤδη θιασώταν.

Frequentes sunt *choriambici hypercatalectici cum basi*, licet nondum collecti. Minimus est *monometer*, h. e. Pherecratius. Eurip. Iphig. A. vs. 170.

Τᾶς κλεινᾶς Ἀρεθούσας.

Sequitur *dimeter*. Ibid. vs. 171.

Ἀχαιῶν στρατιὰν ὡς ἐσίδοιμ' ἄν.

V. Sophocl. Oed. Col. vss. 696. 701. 709. 714. *Trimeter* est ibid. vss. 694. 699. (utroque enim loco bini coniungendi):

Ἔστιν δ' οἷον ἐγὼ γᾶς Ἀσίας οὐκ ἐπακούω.

Et *tetrameter* ibid. vss. 192. 510.

Δεινὸν μὲν τὸ πάλαι κείμενον ἤδη κακὸν, ὦ ξεῖν', ἐπεγείρειν.

In quibus versibus omnibus nulla cernitur causa, quare numerus aptissime cohaerens vulgo non continuetur usque ad catalexin. Sed ut redeamus ad propositum, in utroque melico carmine, fabulam a Tiresia negatam tradente, nihil equidem video, quod correctorem prodat: igitur, nisi ipse maior Euripides parum circumspecte egerit, probabile est commentum istud de Baccho in aethere suspenso, a minore iniectum in Tiresiae sermonem esse, Bacchi vero laudes olim sic fuisse continuatas:

Οὗτος θεοῖσι σπένδεται θεὸς γεγώς
Ὥστε διὰ τοῦτον τ' ἀγάθ' ἀνθρώπους ἔχειν.
Μάντις δ' ὁ δαίμων ὅδε· τὸ γὰρ βακχεύσιμον
Καὶ τὸ μανιῶδες μαντικὴν πολλὴν ἔχει,

aut similiter. Paullo post Tiresias vs. 306.

Ἔτ' αὐτὸν ὄψει κἀπὶ Δελφίσιν πέτραις
Πηδῶντα σὺν πεύκαισι δικόρυφον πλάκα,
Βάλλοντα καὶ σείοντα Βάκχιον κλάδον.

Singula verba, quamquam aliter iuncta, reperies in Fragm. Hypsipyl. ap. Schol. Aristoph. Ran. 1292.

Διόνυσος, ὃς θύρσοισι καὶ νεβρῶν δοραῖς
Καθαπτὸς ἐν πεύκαισι Παρνασὸν κάτα
Πηδᾷ χορεύων παρθένοις σὺν Δελφίσιν.

Mox Tiresias vs. 314.

Οὐχ ὁ Διόνυσος μὴ σωφρονεῖν ἀναγκάσει
Γυναῖκας ἐς τὴν Κύπριν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
Τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ' ἀεί.
Τοῦτο σκοπεῖν χρή· καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
Οὐσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

Primus versus non est versus: mss. duo omittunt μή; inde Brunckius:

Οὐχ ὁ Διόνυσος ἀφρονεῖν ἀναγκάσει,

et μὴ σωφρονεῖν habet pro glossemate. Valck. ad Phoeniss. vs. 397. scribit:

Οὐκ Εὔϊος μὴ σωφρονεῖν ἀναγκάσει.

An in hoc quoque diversitas ex duplice editione nata sit, valde dubium. Postremo hoc,

Ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
Τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ' ἀεί,

sumptum esse de velato Hippolyto recte Valckenarius colligit ex coronati vs. 79. deque frigido οὐσ' ἥ γε σώφρων expositum est capite praecedenti. Et hactenus quidem Cadmus est pius divini nepotis venerator, quem neque imbecilla crura nec cani capilli retineant, quominus hedera cinctus thyrsoque instructus orgia celebret: Bacchi numen a Cadmo agnosci in prologo fatetur ipse deus vs. 30. Cf. inprimis vss. 198-209. Attamen, quum Cadmus ita insons esset, ut in eum coniiceretur

culpa inventi commenti de Bacchi divinitate, fati severitas postulabat, ut una cum impiis filiabus et cum sacrilego nepote Pentheo (vs. 26 sqq.) periret pater et avus sanguine coniunctus: neque vero haec poena est, sed ita fati leges iubent. Igitur ipse dicit vs. 1301.

Τοιγὰρ συνῆψε πάντας εἰς μίαν βλάβην,
Ὑμᾶς τε τόνδε τ', ὥστε διολέσαι δόμους,
Κἄμ', ὅστις ἄτεκνος ἀρσένων παίδων γεγώς,
Τῆς σῆς τόδ' ἔρνος, ὦ τάλαινα, νηδύος
Αἴσχιστα καὶ κάκιστα κατθανόνθ' ὁρῶ.

Longe aliter res est in iis, quae post lacunam (vs. 1328.) dicuntur, ubi et deus Cadmum accusat et ipse se fatetur sontem esse: ut Bacchus ad Agauen eiusque patrem:

Ταῦτ' οὐχὶ θνητοῦ, inquit, πατρὸς ἐκγεγὼς λέγω,
Διόνυσος, ἀλλὰ Ζηνός. εἰ δὲ σωφρονεῖν
Ἔγνωθ' ὅτ' οὐκ ἠθέλετε, τὸν Διὸς γόνον
Εὐδαιμονοῖτ' ἂν σύμμαχον κεκτημένοι.

Ubi verba, Ταῦτ' οὐχὶ etc. manifeste tangunt eorum impietatem, quod deum esse non crediderint: at hoc in solas filias, non in patrem cadit. Tamen respondet hic:

Διόνυσε, λισσόμεσθά σ', ἠδικήκαμεν.

Cadmus profecto minime, qui et ipse ante vs. 1328., nempe vs. 1295. hoc imputat filiabus, quibus dicit,

Θεὸν γὰρ οὐχ ἡγεῖσθέ νιν,

et vs. 300. de Pentheo.

Ὑμῖν ἐγένεθ' ὅμοιος, οὐ σέβων θεόν.

Quinam igitur rursum vs. 1343. Cadmo et Agauae filiae dicere potest deus:

Ὄψ' ἐμάθετ' ἡμᾶς· ὅτε δ' ἐχρῆν, οὐκ ἤδετε,

quod uni convenit Agauae, Cadmo non item? qui vero ipse Agenorides respondere,

Ἐγνώκαμεν ταῦτ'· ἀλλ' ἐπεξέρχει λίαν?

Bacchus autem inferre,

Καὶ γὰρ πρὸς ὑμῶν, θεὸς γεγὼς ὑβριζόμην?

Iam poena Cadmo exilium imponitur scilicet integro et insonti, propter impietatem piam illam, versibus 170-369. ostentatam. Hoc cui non videatur οὐδὲν πρὸς Διόνυσον? An primitivo tu auctori hoc imputaveris? Sed nisi lacuna esset, inquis, non tantae nobis hae difficultates viderentur: omnia plana forent, omnia et secum et cum Euripidis ingenio convenirent. Non credo: neque enim quid ea, quae interciderunt, ad recuperandam perditam rem facere possint, ullo modo intelligo. Numerorum quoque diversitas quaedam est in iis, quae ante lacunam leguntur, inprimis vs. 1188 sqq. atque iis, quae post eandem habes inde a vs. 1329. ubi sunt solutiores ac minus

elegantes. Est et longe alia de Cadmi exilio fama sive traditio, quam servavit Ovidius Met. IV, 562 sqq. etiam aliter igitur poeta, si volebat, argumentum disponere poterat. Quae omnia quum viderem, incidit suspicio, cui tamen parum tribuo, utriusque editionis confusionem in Bacchis haberi: inde ortam lacunam esse, et ex altera recensione remansisse, quae ante lacunam, ex altera, quae post eam leguntur. Simile accidit in Aristophanis Nubibus et Pluto: et eandem editionum confusionem in *Demosthene* statuit *Taylorus*, ad Or. de cor. cap. 6. et 9. audacter quidem, sed acute disserens. Nam orator hic unus est ex paucis prosae scriptoribus, qui operum correctam recensionem ediderunt; cui is, qui I. F. Fischeri sententiam probet, addet *Xenophontem* in Cyropaedia idem agentem. Et apud Demosthenem certe discrimen editionum ab ipso oratore profectum est; primo enim impetu effusae et chartis exceptae orationes haud dubie multum differebant a recensione per otium curata, solita viri diligentia et adhibita lima. At his excussis age ad varias lectiones redeamus. Legitur vs. 449.

Πολλῶν ὅδ' ὠ'νὴρ θαυμασίων ἥκει πλέως.

Emenda θαυμάτων ex mss. et Christ. pat. vs. 1660. Ibidem p. πολλῶν est φρικτῶν, quod

habeo pro varia lectione diversae editionis. Vs. 451.

Λάζυσθε χειρῶν τοῦδ'· ἐν ἀρκυσιν γὰρ ὢν
Οὐκ ἔστιν οὕτως ὠκὺς ὥστε μ' ἐκφυγεῖν.

Ad v. λάζυσθε mss. E. G. adscriptum exhibent μαίνεσθε, quod quum nec librario nec glossatori tribui possit, an est ex priore editione transmissum, ubi plane alia legerentur? Vs. 708.

Ἀκροισι δακτύλοισι διαμῶσαι χθόνα.

mss. quidam λικμῶσαι. Hoc audacius: potest tamen fuisse in priore. Vs. 833.

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν.

Post hunc olim lectus alter:

Ἀρρην πεφυκὼς καὶ γένους ἐξ ἄρρενος.

V. cap. XXIII. unde colligo alia praeterea in ea confabulatione mutata esse, quoniam in priore editione non versibus singulis responsum ad singulos est: iis enim locis, ubi singulis versibus colloquuntur, non solent plures interponi uno tenore decurrentes, nisi urgente summa necessitate, ut in Phoeniss. vss. 910. 918. Porro vs. 887. rara dictio reperitur, δαρὸν χρόνου πόδα, irrisa ab Aristophane Ran. 100. quum olim posuisset Euripides in Alexandra, teste Schol., χρόνου πρόβαινε πόδα. Sed potest repetiisse ipse Euripides: imitationem esse vix putes. Vs. 1027.

Ὡς σὲ στενάζω, δοῦλος ὢν μέν, ἀλλ' ὅμως
Χρηστοῖσι δούλοις συμφορὰ τὰ δεσποτῶν.

Hoc est e Medeae vs. 53.

Τέκνων ὀπαδὲ, πρέσβυ τῶν Ἰάσονος.
Χρηστοῖσι δούλοις συμφορὰ τὰ δεσποτῶν
Κακῶς πιτνοῦντα καὶ φρενῶν ἀνθάπτεται.

Cf. Helen. vs. 732 sqq. Sed quum Medeae vs. 55. omissus in Bacchis sit, mala inde nata sententia est: neque enim τὰ δεσποτῶν universe, sed tantum, ut in Medea habes, τὰ αὐτῶν κακῶς πιτνοῦντα probo servo sunt συμφορὰ, et malignus fuerit servus, cui τὰ δεσποτῶν ἅπαντα sint συμφορά. Postremo, sed dubitanter, affero vs. 1177. ubi nunc est:

Τίς ἁ βαλοῦσα πρῶτά γε;

Plutarchus enim Crass. p. 564. F. habet τίς ἐφόνευσεν, Appianus Bell. Parth. p. 155. τίς ἐχόρευσεν, Plutarcho perperam descripto: prius nescio an ex diversa sit recensione.

Sunt praeterea alia minoris momenti, quae pudet in rem meam vertere. Ita Valckenarius Diatr p. 178. Baccharum vs. 771. τὴν παυσίλυπον ἄμπελον Astydamantem dicit expressisse in verbis ap. Athen. II, p. 40. B. τὴν ἀχεσφόρον λύπης ἄμπελον: posses rem invertere: sed utrimque non liquet de imitatione. Idem censeo de vs. 367. (cf. vs. 508.)

Πενθεὺς ὅπως μὴ πένθος εἰσοίσει δόμοις.

quocum cf. Chaeremonis ex Pentheo versum ap. Aristot. Rhet. II, 23.

Πενθεὺς ἐσομένης συμφορᾶς ἐπώνυμος.

Nam ita et Theocritus XXXIII, 26.

Ἐξ ὄρεος πένθημα καὶ οὐ Πενθῆα φέροντες,

et mediocri acumine opus erat ad inveniendam hanc allitterationem, adeo ut inde nequeat imitatio argui.

His argumentis quid effecerim, aliorum iudicio relinquam: illud monere sufficiat, varietates, quas ego pro duplicis editionis indiciis habeo, non posse ab histrionibus profectas videri. Tamen ab his multa etiam in Euripideis mutata esse affirmavi iam primo capite: nunc illuc reducente orationis serie pauca libet adiicere. Nempe non eo valuit Lycurgea lex in tragicorum trium honorem excogitata, ut fabulas eorum agere ne liceret, quamvis ita intellexerit Scriptor passim ineptus Vitt. X Oratt. dicens, Οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι: quippe iste honor fuisset ex eo genere sanequam mirifico, quo Codrum cives decorarunt iubentes, ne post eum esset regium imperium: lex valuit eo potius, ne, quod fieri solebat frequentissime, interpolarentur a poetis parum scitis et ingeniosis, eareque scriba pu-

blicus debuit παραναγιγνώσκειν, h. e. *dum agerentur fabulae argumenti cognati vel alioquin plagii suspectae, simul inspicere librum et legere*, ut recte Gesnerus exponit l. l. cap. I. Vocabulum est forense, de quo v. Taylor. ad Demosth. de cor. p. 187. T. I. Appar. Reisk. Hoc igitur nihil impediebat, quominus triumvirorum fabulis, dum ipsas repraesentarent, actores mutationes quasdam immitterent. Fabularum autem recentiore Graecae antiquitatis aetate actarum exempla haud sunt rara. Non dicam de productis apud Alexandrum dramatis, non de Parthorum rege annis CCCL. post obitum poetae Bacchas Euripidis inter epulas sibi repraesentari a Graecis histrionibus iubente (v. Plutarch. Crass. p. 564. E. et inde Appian. Bell. Parth. p. 155. Polyaen. Strategg. VII, 41.): *Aeschinis et Demosthenis* temporibus actae Athenis, si raro Aeschyli, at frequentissime Sophoclis et Euripidis tragoediae sunt: neque ullum invenitur in horum oratorum operibus vestigium legis earum actionem interdicentis histrionibus. Illud appareret vel ex Plutarchi vita Demosthenis, ubi Satyrus histrio Demosthenis orationem emendaturus (cap. 7.), Ἀλλ' ἐγώ, inquit, τὸ αἴτιον ἰάσομαι ταχέως, ἄν μοι τῶν Εὐριπίδου τινὰ ῥήσεων ἢ Σοφοκλέους ἐθελήσῃς εἰπεῖν ἀπὸ στόματος: nisi illae ea tempestate agi solitae es-

sent, histrio alias fabulas ad meditandum proposuisset. Archiam in Sophoclis Antigona Creontem egisse non obscure significatur cap. 28. coll. 29. eum dico, qui Demostheni causa mortis fuit. Aeschines iuvenis Sophoclis Oenomaum (cf. Brunck. Fragmm.) egit, quod ei exprobrat adversarius, non quod illicitum fecerit, sed quod vilissimorum histrionum consortio usus sit. V. Demosth. de cor. c. 55. ubi et Cresphontis, Euripidei puta, et Creontis fit mentio. Hecubam quoque Euripidis egit Aeschines: v. ibid. c. 80. Desinam in memorabili Demosthenis loco *περὶ παραπρεσβείας* p. 418. T. I. ed. Reisk. quem adscribam integrum. Dicit de aequaevis sibi histrionibus et de Aeschine: *Ἀντιγόνην δὲ Σοφοκλέους πολλάκις μὲν Θεόδωρος, πολλάκις δὲ Ἀριστόδημος ὑποκέκριται, ἐν ᾗ πεποιημένα ἰαμβεῖα καλῶς καὶ συμφερόντως ὑμῖν πολλάκις οὗτος εἰρηκὼς, καὶ ἀκριβῶς ἐξεπιστάμενος παρέλιπεν. ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ' ὅτι ἐν ἅπασι τοῖς δράμασι τοῖς τραγικοῖς ἐξαίρετόν ἐστιν ὥσπερ γέρας τι τοῖς τριταγωνισταῖς, τὸ τοὺς τυράννους καὶ τοὺς τὰ σκῆπτρα ἔχοντας εἰσιέναι. ταῦτα τοίνυν ἐν τῷ δράματι τούτῳ σκέψασθε ὁ Κρέων Αἰσχίνης οἷα λέγων πεποίηται τῷ ποιητῇ.* His tamen recentioribus temporibus ab histrionibus aut nihil aut paucissima mutata esse puto.

Iam ex iis, quae proposui, colligo non ita integra Euripidis esse opera, quam vulgo putantur, sed tamen cautissime versandum esse in pervestigando. Ita qui opera primi Euripidis tragici, cuius apud Suidam duodecim dramata memorantur, Nostri fabulis immixta putet esse, mihi videretur ridiculus. Non tam antiquum Euripidea colorem habent, illi ut vel una scena ex his possit tribui. A claris nominibus, a Sophocle celebri, a celebri Euripide, tragicum hoc utrumque genus coepit nobile haberi: vetustioris Euripidis, qui ante Nostrum vixit, non tanta fama est, ut eius fabulae Alexandrina tempora attigisse videantur. Ne tertii quidem, nisi Rhesum aut Orestam ei tribuas, praeter has correctiones patrui tragoediarum tulit quidquam aetatem.

UNIV. OF MICHIGAN,
NOV

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 03370 0983

Digitized by Google